AUTHOR:

TRAMPE, ERNEST

TITLE:

DE LUCIANI ARTE METRICA

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1884]

Master Negative #

93-81423-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Trampe, Ernst, 1860-
De Lucani arte metrica. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet scriptor Ernestus Trampe ... Berolini, Lange [1884]
78 p. 21 cm.

Thesis, Berlin, 1884.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/18/93 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE LUCANI ARTE METRICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. M. APRILIS A. MDCCCLXXXIV.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

ERNESTUS TRAMPE

MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

P. SCHULTZE, DR. PHIL.
G. WARTENBERG, CAND. PHIL. DD.
P. v. ROHDEN, STUD. PHIL.

BEROLINI.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE NUNC OTTO LANGE.

MATRI SACRUM.

Carol. Fred. Weber in dissertatione 'de spuriis et male suspectis Lucani versibus' secundo editionis[1]) suae libro addita de arte metrica Lucani haec fere iudicavit: 'Lucanus in versibus componendis minus diligens (est) quam Vergilius'[2]), quod iudicium magis explicavit ita[3]): 'quod Lucanum attinet iam saepius monuimus in versibus faciundis neglegentiorem fuisse neque multam operam iis navasse, licet negari non possit versus eius faciles et rei quam describant satis aptos esse' et paullo post 'in plurimis Pharsaliae locis hexametri rationes cum verbis eorumque ordine optime congruere' censet 'aliis tamen in locis verborum ordine posthabito metrum recte procedere, aliis in locis verborum ordinem bene habere, sed neglectis hexametri legibus'. quod quum persuasum sibi habuerit vir doctus, suo iure addidit: 'apparet interpolationis indicium hac ex re haustum valde incertum et dubium esse', id quod et ante in loco de testimoniis interpolationis (pag. 384) docuerat: 'interdum quoque rhythmus, licet hoc iudicium ex re metrica petitum in nostro neque satis manifestum neque certum videatur'.

Ita Weberus: quamquam ante quaestiones metricas Lachmanni Hauptiique. conabar igitur accuratius cognoscere neglegentiam istam Lucani qualis sit. at mehercle mirum evenisse mihi confiteor. nam quo diutius Pharsaliam tractarem, eo minus neglegens poeta mihi videbatur: immo tantum aberat ut rationes artis metricae minus diligenter tractatae reppere-

---

1) Lipsiae 1821.
2) l. l. pag. 436.
3) pag. 642.

rim, ut e contrario Lucanum esse ex diligentissimis versificatoribus intellexerim. istam ergo diligentiam accuratius exponere operae pretium videbatur esse, ita tamen ut non omitteretur quaestio, primum utrum ea in re Lucanus differat a ratione ceterorum in primis epicorum aetatis suae necne, tum num sint poetae quibuscum congruat et qui sint qualesve.

Extant porro sententiae virorum doctorum de arte Lucani variae hic illic prolatae [1]), quibus ducti locos permultos turpiter ut putabant depravatos sanare conati sunt. quas coniecturas tamen cunctas investiganti probanti refellenti aetas Pylia vix est suffectura: Bentleii ergo viri criticissimi diiudicare satis habuimus nec non Ezrae Clerquii van Jever, quorum coniecturas Weberus editioni suae addidit. quamquam Lucanum defendere a manibus profanis hominis Batavi facillimum est, quippe cuius coniecturae sint supervacaneae ineptae ridiculae.

Speramus denique etsi editio critica morte immatura Steinhartii rursus in incertum dilata sit, tamen dissertationem nostram parte aliqua profecturam esse in vero Lucani textu constituendo.

Optime rem progressuram esse putavi capitibus quattuor ita ut primum agam de prosodia, tum de constructione pedum singulorum inprimis de exitu versus, deinde de accentu metrico et naturali, denique de incisionibus versus et sententiae: et quidem in parte priore capitis uniuscuiusque demonstrabimus consuetudinem Lucani, tum in parte altera morem ceterorum, ne singulis conlatis cum singulis res Lucanianae nimis dissecentur eaque re ispa fiant minus perspicuae.

CAPUT I.

Pars prior.

Positionis usum, quoniam a consuetudine ceterorum alienus non videtur, praetermittentes statim in vocalibus quae solent poni a poetis modo correptae modo productae cogno-

[1]) contulit testimonia talia Oudendorpius in editione sua loco praefationis nec non inde a pagina 886 et rursus a pagina 946.

scemus diligentiam Lucani, quum semel tantum scripserit: stetĕrunt [4,771], nusquam: illĭus istĭus unĭus etc. [1]) — qua re iam Clercquii emendatio foedissima refellitur, quam tamen afferam ut morem hominis vani exemplo uno demonstrem: posuit in libro secundo inde a versu 193:

vidit Fortuna colonos
Praenestina pios, iugulis simul ense recepto
unius haud dubiae pereuntes carmine sortis

pro lectione vulgata:

Praenestina suos cunctos simul ense recepto
unius populum pereuntem tempore mortis.

at nil moror virum ineptum — nusquam porro usurpavit Lucanus ‘ibi ubi’ pro iambo, saepius [2]) vero ita ‘mihi tibi sibi’. quae tamen omnia ut leviora relinquo. verum eadem diligentia apparet in vocali o quam produxit Lucanus ubique in fine verborum et adverbiorum, corripuit in fine substantivorum. semel tamen posuit pro trochaeo ‘ergo’ [9, 256]

ergo pari voto gessisti bella iuventus.

‘ergo’ alias invenitur non nisi in synaloephe [3]) contra ‘porro vero retro quando’ ubique usurpantur producta finali [4]). constat vero Ovidium iam posuisse vocem istam correpta o, qua de re consulto Lucanum ‘ergo’ caute tractasse persuasum mihi est: ipsi vox dubia videbatur, dubiam relinquere voluit neglecta tamen cautione loco isto uno libri ob praematuram mortem minus expoliti.

Verborum talia ‘cano eo fero peto’ ubique producta finali inveniuntur [5]). Weberus tamen sua sententia ductus, quamvis summa diligentia e Pharsalia tot versus interpolatos expulerit, unum poetae inculcare conatus est quum scripserit [6]):

[1]) ea in re prorsus diversus est noster a Valerio Flacco qui voces istas usurpavit ubique correpta i.
[2]) 1, 362. 372. 2, 82. 244. 264 etc. etc.
[3]) 2, 704. 4, 777. 6, 360. 7, 385. 9, 55. 1073 al.
[4]) 9, 69; 6, 662; 7, 426 et 9, 738; 4, 811.
[5]) 6, 708; 1, 693. 7, 613. 9, 239; 9, 128; 10, 97.
[6]) dissert. pag. 643 sq.

'exemplum denique observatae syllabae ancipitis quod defendo in versu

constituam sparsas arces replebo ruinas

inserto post IX 997 in Voss. prim. Lips. bc etqs. legitur'. 'offendit, addit syllaba *re* in verbo *replebo* pro longa posita' quocum conferas ea quae docuit in pagina 479 sq. quae tamen afferre longum est. nihil enim offenditur correpta finali. tum vero quod Weberus l. l. censet: 'praeterea nulla interpolandi ratio apparet', e contrario contendam versum illum redolere glossam sequentis

restituam populos, grata vice moenia moenia reddent
Ausonidae Phrygibus.

quid enim est 'constituere' sparsas arces? quod quum iam medii aevi vir doctus vidisset, suprascripsit teste Oudendorpio in codice Vossiano syllabam *re*, ita ut evadat inepte 'restituam' quum tamen statim sequatur 'replebo', quin et iterum 'restituam'. absit a Lucano tam foeda repetitio.

Neque potest firmare Weberus correptam o duobus locis his [8, 183] 'illa quoque pergo sinistra' ubi codices omnes consentiunt in imperativo 'perge', et 10, 370 ubi legitur in Vossiano primo A 'a quo casta fuit? rogo per quod fecimus una' in Vossiano altero B 'per te quod fecimus una cum ellipsi verbi orandi et hyperbato praepositionis apud ceteros non tam insolito[1], quod tamen utrumque Lucano non attribuerim. neque ideo melius se habere praepositionem 'per' positam in arsi quarta infra in capite tertio evidenter apparebit. quibus de causis neque A neque B servasse veram Lucani manum crediderim, sed locum depravatum in utroque genere codicum correctum esse utcunque optime visum sit.

Substantiva in o exeuntia ubique correpta finali inveniri diximus, et quidem quae formarunt casum genetivum in *inis*

---

[1]) Silius 1, 658:
per vos culta diu Rutulae primordia gentis conservate pios.
Statius Achill. 1, 267:
per ego hoc decus et ventura iuventae gaudia — cape tuta-tegmina.

omnia excepto uno 'Karthago' [2, 92], quod qua re factum sit natura et indole vocis tam facile intelligitur ut dubitem num Lucanus ponere potuerit id quod apud Silium saepius legitur 'Karthago' pro antibacchio[1]). substantiva casum alterum in *onis* formantia ancipiti vocali o inveniuntur, ita tamen ut nusquam vox eadem modo correpta modo producta finali posita sit. corripitur in: leo 1, 206. 9, 537. praedo 10, 21. pulmo 3, 644. 4, 327. tiro 2, 480. 5, 263. 7, 102. — quin Lucanus primus dactylicorum usurpavit vocem 'oblivio' 10, 403 — producitur in: bubo 6, 689. et mucro 7, 140 bis in caesura. vocem 'seditio' nil moror [5, 323]. frustra ergo quaeres in Pharsalia positum pro spondaeo 'virgo' pro iambo 'leo', quae facile invenies etiam apud posteriores[2]). quin ne aliter quidem tractavit poeta nomina propria Latina, quum non solum ubique correpta finali posuerit 'Curio Scipio' sed etiam 'Cato': 3, 164. 2, 247. 285. 6, 790. 9, 166. 227. 250. 761. contra nomina propria Graeca aut producta finali inveniuntur ut 'Ceto(que)' 9, 646 aut posita in exitu versus non solum 'Argo' 2, 717. 3, 193. 'Erichtho' 6, 508. 640. 725. 826. sed etiam bis: 'Apollo' 5, 85. 198 — Statius[3]) quidem ausus est: 'monstravit Apollo iuvenca' — alias nomina mere Graecanica adhibere maluit ut 'Gorgon' 9, 679 'Macedon' 8, 694 quum in formis Latinis 'Gorgo Macedo' finalis corripienda ei visa sit.

Demonstravimus morem Lucani in corripiendis finalibus: iam videamus de productis iure arsis. sunt qui tali ratione posuisse eum censeant:

9, 417: unde Europa fugit Libyen et litora flexu
Oceano fecere locum: sed maior in unam
orbis abít Asiam.

5, 522: quisnam mea naufragus, inquit,

---

[1]) Silius. 2, 303. 6, 89 al.

[2]) Valer. Fl.: leo 1, 757. 6, 347. virgo 5, 280. 6, 396. 754. 8, 32. quin Statius in Thebaide [7, 43] posuit 'compagō', apud quem tamen multo rarius oocurrunt etiam verba et adverbia producta quam correpta o.

[3]) 7, 664; in Achilleide 1, 553 Agamemnŏ.

tecta petit? aut quem nostrae fortuna coegit
auxilium sperare casae.

utroque loco Oudendorpius praesentis tempus in indice adnotat, quum tamen in textu 'abît' saltem posuerit[1]). et re vera magis idoneum potest videri praesens quam praeteritum. verum tamen si quis ingentem numerum formarum praesentis temporis verborum eundi et petendi perspexerit — sunt plus centum —, cognoscet positas eas esse aut producta finali non nisi consona sequente aut correpta sequente vocali[2]). tum quum contulerit perfecti formas saepissime collocatas producta i. e. contracta finali *it* ante vocales[3]), iam dubitabit num re vera praesenti istae formae duae sint adscribendae. Lachmannus in commentario Lucretiano [pag. 209] 'petit' saltem laudavit pro perfecto: et recte, nam Lucanus perfecti formas istas non nisi contractas usurpavit. iam vero quod Lachmannus docuit l. l. formas tales Lucanum collocasse ante vocales tantum quum scripserit: 'sunt qui has tantum modo ante consonantes vel in exitu versuum ponant, Phaedrus Seneca Silius, quum plerique eas non nisi ante vocales admittant' in quibus numerat cum Vergilium Ovidium alios tum Lucanum, ea in re confiteor me virum doctissimum secuturum non esse, quia praeteritum tempus repperisse mihi videor his locis: abit 7, 842. coit 7, 468. obit 9, 205. redit 2, 94. subit 4, 706. 6, 531. — aliis locis perfectum minus certum videtur —: item 'petit' interpretor pro perfecto his locis 4, 127. 8, 703, ubique tamen consona sequente.

Locus hic videtur esse demonstrandi consuetudinem Lucani ceteris in perfectis coniugationis scilicet primae et quartae. ubique contractione usus est ante s consonam: damnasti 9, 858. litasti 7, 171. putasti 9, 506. vocasti 7, 168. servastis 3, 161. quaesistis 7, 344. donassent 7, 30 flagrasset 1, 657. fugasses 8, 602. audisset 9, 146. damnasse 8, 328. 9, 1080. donasse 3, 243. 8, 815. audisse 5, 747. quaesisse 2, 110. 173. 494. 6, 426. 9, 140. 10, 150 et similia. nec non: istis 7, 702. 834. petisti 8, 836. 9, 1047. petistis 7, 261. repetistis 1, 451. issem 8, 88. isset 1, 19. 9, 21. 10, 39. transisset 4, 499. subissent 4, 524. exisse 5, 410. perisse 5, 772. petisse 8, 418. repetisse 4, 566. 8, 814.

In tertia pluralis primae posuit aut -avere aut -arunt. certavere 3, 761. cessavere 6, 461. curvavere 9, 800 etc. lustrarunt 8, 437. mutarunt 8, 666. negarunt 8, 863. velarunt 2, 361. etc. item ubi vocalis e brevis sequitur consonam v, syllabam *ve* modo servavit modo elisit: mutaverat 9, 1034. sedaverat 10, 54. spoliaverat 9, 479. et contra: calcarat 9, 1044. damnarat 6, 507. 641. negarat 8, 560. tentarat 4, 691. rursus damnaverit 9, 87. privaverit 8, 498. superaverit 9, 936. quin correpta finali: servaveris 3, 146. et contra mutarim 2, 345. probaris 8, 626.

In perfecto quartae invenies tantum -ivere: audivere 3, 594. excivere 7, 361. excepto tamen verbo petendi: petiere 3, 212. 5, 656 et petierunt 3, 45. nec non eliditur v ante correptam e: audierat 2, 81. finierat 3, 356. 10, 193. audiero 1, 374. scieris 8 ,627. producta finali. quin ierit 6, 158.

Contra **sequente i ubique retinetur v** exceptis scilicet verbis eundi et petendi: audivit 5, 11. descivit 2, 728. excivit 3, 291. 4, 611. 669. quaesivit 1, 617. 10, 157. lenivit 9, 643. attrivit 6, 82.

Isdem rationibus usus est ceteris in formis eius modi, quum scripserit quidem: complerunt 3, 67. implerunt 1, 525. consuerunt 4, 603. agnorunt 3, 606 sed: movere 7, 549. 9, 642 (nusquam: moverunt), et rursus: compleverat 8, 473. moverat 3, 170. 8, 151. commoverat 5, 507. admoverit 9, 316. quin correpta finali: admoveris 7, 591 nec non: noverat 3 ,223. 6, 432. 9, 427. etsi alibi non dubitavit ponere: norat 9, 198. et norant 9, 847. quod hoc in verbo facillime excusatur. in ceteris enim coniugationum secundae et tertiae videtur maluisse vitare contractionem etiam ante s consonam quum

[1]) eadem neglegentia posuit in indice pro praesente, in textu pro perfecto: adit 9, 347. obit 9, 190. perit 9, 129.

[2]) 3, 112. 735. 4, 491. 5, 96. 613. 6, 60. 276 etc. petit 1, 395. 3, 739. 5, 72. 736. 6, 6. 315.

[3]) 7, 75. 8, 321. 422. 9, 129. 190. 347. petit 9, 32. 10, 64.

posuerit non tantum: movistis 3, 121. movisse 2, 261. 8, 841. submovisse 2, 385. movisset 7, 861. crevisse 3, 534. crevisset 5, 625, sed etiam: flevisse 1, 556 quamvis scripserit: flesset 7, 37. contra ubique invenitur: nosset 8, 679. et nosse 1, 452. 640. 3, 417. 6, 514. 8, 482. 9, 190. 937. 10, 287. 298.

'desisset' denique 7, 780. plane esse ex more Lucani apparet.

Rationibus his expositis iam Bentleii Clercquiique inventa refellemus, illius 'disperiisse' 2, 119, huius: 'petiit' 3, 287. ne 'exciit' quidem Bentleii stare potest, quod posuit vir doctissimus, quum antecesserit perfectum 'movit' vel ut ipse iubet reponi 'admovit', pro forma temporis praesentis 'excitat' 2, 325, quae vox tamen est Lucano usitatissima: 4, 208. 7, 386. 577. 8, 776. minus certum iudicium est de hoc loco [9, 430] ubi legitur in codice A:

extremoque epulas mensasque petivimus orbe

in B: 'petemus ab orbe', quod plerique ceteri correxerunt in 'petimus'. quam lectionem Cortius et Oudendorpius secuti sunt. dubia tamen fit auctoritate codicis A, cum quo consentit optimus quoque Weberi. tum vero praepositio 'ab' desiderata videtur causa fuisse contractionis, quamvis in locutione tali facillime careatur praepositione. exempla satis habeo afferre ex Pharsalia ipsa: 1, 65 sollicitare deum Bacchumque avertere Nysa. 674: nam qualis vertice Pindi Edonis-decurrit. 2, 491 devolvit rapidum nequiquam moenibus agmen. 4, 495 spectabunt geminae diverso litore partes, (ubi Cortius defendit male coniecturam 'diverso e litore', quam quidem Bentleius quoque in textu suo servavit) 583 namque rates audax Libybaeo litore solvit Curio. 6, 562. illa genae florem primaevo corpore vulsit: male B et nonnulli Weberi praebent 'e corpore'. 8, 310 excitosque suis immittam sedibus ortus. 9, 822 ecce procul saevus sterilis se robore trunci torsit et immisit — serpens, ubi itidem B cum nonnullis pravissime scripsit 'sterilis e', alii 'de', ita ut appareat B ubique inseruisse praepositionem, non neglexisse A. qua de re veri similius videtur scripsisse Lucanum 'petivimus': in incerto

tamen relinquemus, quoniam exempla eiusdem generis afferre nequimus. luce enim clarius est vitasse Lucanum formas tales ut dubias. posuit ergo ter 'ibat' 3, 41. 8, 577; 7, 226. quorum locos duos priores interpretabimur pro imperfectis de conatu quae vocantur, loco ultimo magis idoneum videtur fuisse aut perfectum aut praesens. ne primam quidem singularis ausus est adhibere, quum dubium visum sit, utrum sit scribendum 'abii' an 'abi', 'petivi' an 'petii'. qua de re Lachmannum non sequar scribentem in commentario Lucretiano l. l.[1]) locum quendam Lucani [8, 321] ita:

quas magis in terras nostrum felicibus actis
nomen abit aut unde *redi* maiore triumpho

pro 'redit' codicum, scilicet ne ponatur perfecti finalis contracta ante consonam, quam rationem non quadrare in Lucanum supra ostendimus. quamquam Lachmannus eandem ob causam Heinsii correcturam amplexus est loco altero: [8, 84]

vivit post proelia Magnus,
sed Fortuna perit: *hoc* defles, illud amasti

contra concentum codicum: 'quod defles', id quod explicare quoque videtur scholiasta Vossianus[2]) ita: 'si me vivente sed misero non desinis lugere Cornelia, constat te non hucusque Pompeium amasse sed fortunam meam, quam nunc plangis afflictam'.

Restant denique loci tres, in quibus producta videtur finalis brevis.

1, 642. aut hic errat, ait, ulla sine lege peraevum mundus.

Ita ediderunt audacter Cortius et Oudendorpius falso ut apparet. nam vix usquam invenitur 'ullus' negatione non antecedente. quod vulgo legitur 'nulla cum lege' correctum est ex lectione quattuor Vossianorum e quibus sunt sine dubio A B: 'nulla sine lege', et ita Priscianus[3]) quoque

---

[1]) pag. 209.
[2]) ap. Weber. III p. 600 sq.
[3]) lib. XVIII. 255 p. 1194. Hertz Prisc. II p. 337.

legit corruptis ut apparet iam tum codicibus. Bentleii emendatio 'nulla sub lege' facilitate erroris arridet.

2, 564. non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat: hinc consul uterque eqs.

Cortius posuit 'cupis, paras' assentiente Bentleio[1], iterum tamen falso. nam 'cupis paras' quae praebent codices B Colbert. II Bentleii alii luce clarius merae sunt emendationes lectionis verae in A servatae, ne produci videatur syllaba finalis *at*. retineo ergo 'parat': et re vera persona secunda minus idonea est tertia. illa enim appellat Pompeius Caesarem, quem tamen nullo modo significare potest voce 'quisquis'. scholiasta denique sine dubio legit 'parat' quum scripserit[2]: 'et *qui petit* ascendere ultra me, regnare vult et non servare Romanum honorem'.

4, 668. regis tamen undique vires
excivit Libycae gentis extremaque mundi
signa suum comitata Jubam.

Ita exhibent editiones Bentleii apud Weberum et Tauchnitiana stereotypa. Oudendorpius Grotii emendationem recepit: 'Libyae gentes', Cortius solita pravitate 'Libyae gentis' refellens fusa adnotatione Grotium. repperisse enim sibi videtur adiectivum 'Libyus' altero quoque loco [9, 496]: 'Libyae finitor circulus orae', ubi tamen codices ut videtur omnes consentiunt in lectione 'Libycae': 'Libyae' invenitur non nisi in editione Veneta teste Oudendorpio. fere inaudita porro est finalis genitivi tertiae tali modo[3]) producta, et codex optimus A clare exhibet 'gentes'. vitium ergo inest in voce 'Libycae'. Bentleius proposuit 'Libycas', magis tamen placet 'Libyae'. error enim ita est facillimus, quum sine dubio scriptum fuerit in archetypo 'gentis' usitatissima finali pluralis, quam quidem usurpasse

[1]) ap. Web. I. p. 236.

[2]) ad v. 564 ap. Web. III p. 163.

[3]) nil moror locos tales: seu languentis hyacinthi [Aen. 11, 69]. linquens profugus hymenaeos [10, 720] sed confero Georg. 3, 332 sicubi magna Jovis antiquo robore quercus.

nostrum negat Weberus[1]), codices tamen optimi saepissime exhibent: ut schedae Vindobonenses rescriptae (C)[2]) 5, 49 merentis. 60 crinis. 172 obstantis. A 1, 253 errantisque. B 1, 241 fluentis. AB 1, 541 ardentis, 574 stridentis etc. etc. 'Libyae' denique scripsisse videtur Lucanus extra caesuram, in caesura 'Libyes': conferas 1, 368. 5, 39 (ubi C A consentientibus B prave exhibet 'Libies') et contra 1, 206. 255. 4, 606. 9, 377. 624.

Nullam ergo licentiam repperimus praeter unam istam: 'parat' et consentimus fere cum Lachmanno docente in commentario Lucretiano [pag. 76 sq]: '(Lucretii et) Lucani nulla omnino est in hoc genere licentia'. persuasum tamen habeo servandum esse eo loco 'parat', quum consona *t* posita sit 'in legitima caesura'[3]) nec non sequente incisione sententiae validiore.

Transeamus ad usum elisionum: qui quidem non abhorret a more ceterorum eo quod plurimae inveniuntur in initio versus in thesi prima et in arsi secunda, item ante exitum versus in thesi quarta et in arsi quinta, multo rariores sunt ceteris in sedibus: verum tamen dignae sunt quae accuratius perspiciantur quum elisiones vocalium longarum tum coniunctiones omnium cum syllaba brevi scilicet in thesi.

Ac primum quidem eliduntur vocales longae in thesi prima his locis: 8, 289 quare agite. 3, 676: multi inopes. 6, 795. 9, 133 vidi ego. 3, 498 ultro acies. 8, 211 quando ait. 8, 242 quanto igitur. tum: ergo ubi 2, 16. 628. 669 et conferas quae supra[4]) de ea voce ostendimus. apparet omnes excepta voce 'ergo' coniungi cum syllaba brevi. contra non minus saepe eliduntur vocales longae in thesi quarta, nus-

[1]) diss. p. 501: „forma *is* pro *es* quantum constat *a codd. non satis probata* (!) in Lucano alieno ab his et similibus — reponi non debet".

[2]) Detlefsen Phil. 13. 15. 26; Steinhart de Lucani schedis Vindob. Salzwed. 1860.

[3]) Lachmannus l. l: plerique non nisi in legitima caesura — breves vocales produxerunt.

[4]) pag. 7.

quam tamen sequente correpta vel acuta: 1, 296. 475. 652. 2, 79. 106. 351. 380. 3, 453. 606. 4, 165. 480. 5, 129. 579. 6, 253. 563. 564. 575. 589. 631. 7, 111. 196. 198. 335. 370. 406. 651. 736. 8, 74. 161. 243. 418. 508. 9, 70. 109. 383. 10, 459. in thesibus vero secunda et tertia Lucanus elisionem talem non adhibuit, nedum in quinta.

Rursus ex arsibus secunda numerum elisionum maximum praebet: 4, 436 et temere ingressos. 7, 216 non temere immissos. 1, 605 dumque illi effusam. 4,769 ut vero in pedites. 7, 297 spe trepido: haud unquam. 10, 537 hinc tergo insultant. 1, 593 ambiri et festo 4, 331 impulsu et siccis. 8, 57 canitie atque atro. 9, 858 damnasti atque homines. 2, 587 Aegypto atque umbras. arsis quinta 10, 401 temere omnia saevi. 3, 14 vidi ipsa tenentes. 5, 584 coeli iste fretique 1, 334 ex hoc iam te improbe regno. contra arsis quarta has tantum: 3, 662 morti obluctata lacertis 3, 735: vastae obduxere tenebrae. et arsis tertia: 1, 197 gentis Juleae et. 4, 706 ense subit presso et. (nam sine dubio 'et' est interponendum, id quod vidit iam Bentleius, Cortius neglexit). 1, 578 insonuere tubae et. 4, 238 mansuevere ferae et. 5, 733 indulgere morae et. 4, 471 circumfusa rati et.

Consulto contulimus locos cunctos ut ratio Lucani quam clarissime appareat. eliduntur enim plerumque verba spondaica vel cum exitu spondaico aut ante syllabas non acutas aut ante voces 'et atque' positas in arsibus secunda ac tertia; verba porro iambica non nisi in arsi tertia ante particulam 'et' positam in caesura, id quod addendum esse censeo legi Lachmanni in commentario Lucretiano [pag. 198]: 'Lucanus (post verba iambica) *et* (coniunctione ita usus est), hyperdisyllabo nullo'. quocum optime congruit id quod vir doctus affert paullo post [pag. 199 sq.] Lucanum vocem 'est' cum voce iambica non coniunxisse nisi locis his: 1, 139 pondere fixa suo est. 9, 639 passa Medusa mori est. 10, 358 nam Latio iam nupta duci est. addo 7, 630 sq. mors nulla querela digna sua est. 8, 161 caesaries compressa manu est.

10, 283 ausa loqui de fonte tuo est. ubique positum videmus 'est' in caesura.

In arsi quinta fortasse melius recitatur: 'vidi psa coeli ste'[1]). monosyllabon elisum ista in arsi excusatur facillime. eadem ratione elisum invenitur 'se' in thesi quarta 9, 807: totis se effundere signis. notandum vero codices utroque loco etiam corrigere poetam conatos esse, quum codex optimus A vocem *se* loco altero — casu tamen ut videtur — omittat, loco priore sint qui praebeant: 'ex hoc te iam improbe regno'. quos Cortius pro sua consuetudine secutus est imprudenter. nam ut Lucanus nusquam alibi vocalem finalem monosyllabi ullius elisione abstulit, ita consonam finalem *m* non nisi monosyllabi coniuncti cum altero tali modo: 2, 217 neciam alveus amnem. 3, 752 neciam amplius anceps. 2, 158 necdum omni sanguine fuso' plane eadem ratione qua posuit sequente vocali: postquam 3, 659. 10, 172. nondum 7, 593. 8, 673. 10, 166 et similia, nusquam: quum quam dum, cum, nam tam.

Eae sunt rationes Lucani elidendi vocales productas, satis accurate circumscriptae. omnes tamen editores retinuerunt lectionem pessimam hanc:

6, 708 sq. si pectora plena
saepe *dedi et* lavi calido prosecta cerebro.

ita ut elidatur vox iambica in arsi secunda ne caesura quidem sequente. codices tamen optimi ut Lucanum tam imprudenter foedarint tantum abest, ut non solum A clare exhibeat: 'si pectora plena saepe deo lavi' sed etiam Vossiani ceteri excepto uno, qui tamen non est B: 'saepe dedi lavi' omissa saltem particula, inepta vero cum correctione vocis 'deo', quam tamen recepit secunda quoque manus codicis A.

---

[1]) Lachmannus l. l. pag. 197: idem hoc Priapeo 69 (68, 7 Baehr.) restituendum puto: smerdaleon certe *sti* res non munda vocatur'. Baehrensius posuit 'si'. desideratur vero significatio Homeri, ut antea bis 'ille'.

'deo' autem scripsisse Lucanum scholiastae demonstrant, quum explicent versum 708[1]): '*plena* nominativus singularis i. si ego *plena* saepe *deo* lavi i. respersi et madefeci calido cerebro prosecta pectora i. incisa vel minutatim divisa. est et alia expositio: si ego pectora plena i. pectora plena habens saepe *deo* lavi i. respersi calido cerebro prosecta i. exta vel intestina. et est Graeca figura — quasi dicas 'bonus animum'. Berolinensis tantum No. 34 adnotat ad v. 709 'si ego plena deo per pectora lavi prosecta vel ut dicatur si dedi plena pectora et lavi prosecta' en habes originem coniecturae. tamen homo barbarus recte locum intricatissimum interpretatus est isto 'plena deo per pectora', quum ceteri fortasse videantur coniunxisse 'deo' cum verbo 'lavi'. ait enim Erichtho: 'exaudite preces meas, inferi, si vos ore satis nefando voco carne humana referta, si pectora habens deo plena lavi *vobis* presecta calido cerebro i. si vobis *dedi* prosecta calido cerebro sparsa'. nam Horatius quidem dixit ubique[2]): 'quo me Bacche rapis tui plenum; plenoque Bacchi pectore; plena cruoris hirudo' et similia: Lucanus vero[3]): 'ille deo plenus; plena laborat Phemonoe Phoebo; Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo; ratis multo cruore plena' et sic ubique fere. primum igitur vox non intellecta 'deo' prave mutata est, tum quum desideraretur coniunctio verborum 'dedi lavi', *et* istud insuave interpositum. Cortius denique — exitus acta probat — versum reddidit plane gibberosum adnotatione docens: 'scripserat auctor 'lavi et calido' eqs. eo enim casu plerumque copulam a librariis omissam esse vidimus ad I 209 vasto et grave murmur hiatu', qua de lectione prava mox videbimus.

---

[1]) ap. Web. III. p. 494. Useneri commenta Bernensia (ed. Lips. 1869) nil adnotant.

[2]) carm. III, 25, 2. II, 19, 6. AP. exit.

[3]) 9, 564. 5, 186 sq. I, 675. 3, 627 sq. cum genetivo: 3, 9. 5, 666. 9, 189, locis duobus prioribus metri causa, loco ultimo ob ablativum 'pleno'.

Laudatorem tamen Cortius invenit Steinhartium in dissertatione 'de emendatione Lucani'[1]), quum restituerit versum 10, 314 ita: 'qua pergunt nostri ad rubri commercia ponti', ubi legitur volgo: 'qua dirimunt nostrum rubro commercia pontum', quamvis codices A B exhibeant 'rubri commercia ponti'. Steinhartius iure refutat emendationem Weberi[2]): 'quae dirimunt nostrûm rubro commercia ponto, i. e. quae separant nostrorum civium (Aegyptiorum scilicet, ut censet in pagina antecedente) commercia a commerciis rubri maris', quum 'nostrûm' pro 'nostrorum' in Pharsalia inauditum sit, multo magis vero refutandus est Cortius, quippe qui elisam velit in arsi tertia vocalem longam non tamen sequente *et.* tum vero lector quivis necessario in cidet versum post praepositionem *ad,* id quod in Pharsalia verisimile non esse in capite tertio ostendemus. multo magis placet Gronovii: 'quae dirimunt nostri et rubri commercia ponti'. scholia Vossiana nil iuvant: commenta vero Bernensia praebent lemma 'rubro commercia *mundo*' et addunt explicationem 'qua dirimunt pontum nostrum a rubro mari', ita ut appareat legisse scholiastam 'nostrum rubro commercia ponto'. verba 'qua dirimunt' luce clarius dempta sunt ex versu 312, quum fortasse repetitum 'qua' fuerit causa erroris. licet ergo conicere 'qua tradit nostrum (scil. mare) rubro commercia ponto'[3]).

Accedamus ad quaestionem alteram. Hauptius egit in Observationibus criticis de coniunctione vocalis longae cum brevi, qua dissertatione apparet Lucanum stare cum Ovidio Tibullo Lygdamo Gratio[4]), quum admiserit collisionem istam

---

[1]) Bonnae 1854. pag. 12.

[2]) diss. Weberi pag. 611 sq.

[3]) ostendit emendationem illam mihi benigne vir doctissimus H. Diels.

[4]) addimus Manilium, qui plane caret tali elisione duobus locis exceptis, siquidem credimus Jacobio editori, qui posuit 3, 507 non seri te obitus. et 3, 423 ducito in aequas. codices utroque loco longe aliter ea de re iudicari iubent. perversae sunt emendationes Jacobii.

non nisi in pede primo: exempla supra attulimus. itidem vero Lucanum vitasse omnino collisionem vocalis cuiusvis in thesi cum brevi excepta tantum correpta *e* finali collatis exemplis huius modi statim elucebit. in prima quidem thesi inveniri numerum satis magnum non mirabimur: 7, 502 una acies. 2, 71 stagna humidi (quod tamen non satis certum est); tum vero nulla nisi in *m* consonam exeuntia: 2, 224 quamquam agitat 3, 659 postquam inhibent. 10, 172 postquam epulis. 2, 580 idem ego. 9, 652 nullum animal. 9, 511. 545 ventum erat. 6, 606 pronum erat. 9, 385 durum iter. 1, 300 mecum ait. vocalem ĕ saepissime elisam nil moror. contra in thesi altera haec tantum habes: 3, 578 hi luctantem animam. 3, 623 effugientem animam. 752 festinantem animam. 6, 714 descendentem animam, 732 infelicem animam, ita ut videatur Lucano elisio ista acceptissima fuisse praeter correptae *e*. tum vero 3, 427: vicina operi. 10, 422 et destricta epulis. item ter in thesi tertia 5, 356: fortuna humeris. 10, 412 subducta acies 2, 552 Parthorum utinam. ne thesin quartam quidem maiore licentia tractavit: 8, 105 sic fata iterumque refusa. 5, 87 inclusum habitare cavernas. 8, 165 curarum odiumque futuri. in thesi quinta denique Lucanus nusquam collisit vocales cuiusvis generis in priore syllaba brevi dactyli quinti, ne correptam *e* quidem. contra in brevi altera nusquam nisi in pede primo et quinto certis rationibus. addo exempla thesis primae: 1, 162 praedaque et cf. 2, 407; 1, 169 vomere et cf. 3, 10. 346. 625. 6, 233; 1, 52 sed neque in. 7, 776 pectore in 1, 428 sanguine ab cf. 3, 209. 6, 113; 5, 207. regnaque ad cf. 6, 446. 10, 195; 2, 450. moenia et cf. 6, 687. 751. 7, 790; 4, 163. ordine ait. cf. 6, 230. 659. 7, 659. et semel: 'qui modo in absentem 5, 319. — apparet aut elisam esse vocalem ĕ sequente syllaba non acuta aut vocalem firmiorem ă sequente particula *et*, excepto uno isto loco. 'ait' porro quum quater eodem modo sit positum, ea ipsa re ut ἄτονον excusatur. semel tantum porro legitur [4, 555]: ipsaque inexpertis quod primum fecerat herbis[1]). acuta tamen syl-

laba sequente elisisse videtur Lucanus auctoribus Oudendorpio et Webero, quippe qui legi iubeant: 'hae quoque éunt animae' [7, 816] verum tamen etsi ita exhibent codices plerique, ex quibus est B, nobiscum stat A lectione multo meliore: 'hae quoque sunt animae'; sequitur enim statim: 'non altius ibis in auras', quo loco origo correctionis facile intelligitur.

Eandem rationem esse servatam in thesi quinta apparet his locis: 2, 629 convertere Iberos. 4, 690 depellere avorum. 8, 788 congestaque in unum. 10, 298 consurgere in ipsis. 10, 494 et tempore eodem. et rursus: 1, 487 sed curia et ipsi. 231 Ariminum et ignes, de quo loco vexatissimo longius agemus in porte altera huius capitis.

Nusquam alibi Lucanus vocalem brevem iugavit cum altera brevi, nisi quod ubique scripsit 'neque enim' 1, 632. 3, 128. 464. 4, 255. 359. 417. 762. 772. 7, 119. 739. 9, 42. 243. 388. 413 id quod vidit iam Cortius [ad v. 7, 739]. editores quidem et maxime Oudendorpius mirum in modum variant, codices vero optimi, quantum collationibus non satis adhuc accuratis suspicari licet, fere ubique consentiunt. contra legitur in versu 4, 426 'nec apertas verberet undas'. 6, 107. 'nec inertibus angitur undis'. 681 'nec habentes nomina pestes' (prave A 'et habentes'). 8, 742 'nec adhuc a litore longe est'. apparet 'neque enim' a Lucano usurpatum esse pro composito. qua de re restituemus etiam in editione Bentleii v. 9, 413 'neque enim', nec non retinebimus 'neque enim' v. 3, 50 quo loco unico codices ambo Vossiani consentiunt in lectione 'nec enim'. et re vera quin Lucanus hac quoque re differat ab 'incerto' laudatore Pisonis, quem esse eum contenderant Jo. Vossius Nic. Heinsius P. Burmannus nec non Bentleius ipse, nihil dubito, quum scripserit ille in versu 219[2]) 'nec enim me divitis auri' plane eodem

---

[1]) licet fortasse conferre versus Vergilii Ovidiique: inque salutatam linquo [Aen. 9, 286] inque cruentatus [Metam. 12, 492].

[2]) Poetae Latini Minores I. p 221. ed. Baehr.

modo quo Calpurnius, de quo conferas Hauptium in dissertatione 'de carminibus Calpurnii et Nemesiani[1]): 'in carmine III, 7 scribendum est non 'neque enim vacat' sed 'nec enim vacat".

Iam ratione Lucani exposita videamus de coniecturis. nil moror Clercquii: 2, 164 postibus Antaei aut Libye 3, 269 terrae ut succenditur aer, quas non elisionis ratione tantum sed collocatione coniunctionis plane indignas esse Lucano infra videbimus: neque 2, 404 flumina qui in gemini 3, 132 patriae ad exhaustae (tale enim monstrum fingens damnavit emendationem 'audacem et ridiculam' Bentleii 'hostis ad aerari'). 3. 337 nam in pondere eqs.: sed ne Bentleii quidem elegantiores tolerabimus: 1, 237 signa foro et stridor (Clercquius prave posuit 'loco et'), ita ut sit apodosis 'rupta quies populi', quum tamen appareat Caesarem silentio usque in forum profectum tum cantu tuborum urbem sopitam excitasse; 7, 357: sponte viri et prisca venerandus imagine miles. commenta Bernensia testantur lectionem vulgatam 'quales erant *antiqui* qui pro patria sunt mortui'. Lucanus utroque loco verbum iambicum elidere noluit. neque bene se habent in arsi quarta et quinta emendationes 'longa obsidione Rutheni' [1, 402] et 'intra aggere tutas' [6, 272]. quin id quod Bentleius in textu suo retinuit v. 10, 340 'poenaque civilis belli *et* vindicta senatus' sine dubio interpolatae coniunctionis notam prae se fert, quum codices optimi particulam *et* non agnoscant. neque feliciter correxisse Lachmannum versum 1, 197 ita: 'Phrygiique penates gentis Juleae rapti et secreta Quirini' crediderim, quamvis censeat[2]) nihil deterius futurum esse 'rapti et' quam 'Juleae et rapti'. inveniemus enim infra in capite tertio rationem alteram, qua ducti malumus in Pharsalia elidere longam vocalem antecedente longa[3]) scilicet sequente *et* in caesura. displicent porro Bentleii 'solas se admittere Gades' [3, 279] quamvis Clercquius appellet 'capitalem'

[1]) Scr. min. I pag. 359 sqq.
[2]) comm. in Lucr. pag. 160.
[3]) Lachmannus l. l. pag. 158 sqq.

emendationem, et 'olim quum ingentibus ausis' [2, 673]. si quis denique in v. 8, 420 'nam neque apud' putabit verisimilius esse quam 'nam quod apud', commendabo tamen scribendi morem Lucanianum: 'nam nec apud'.

Pars altera.

Uniuscuiusque poetae consuetudo versus faciendi non magis iis rationibus quibus utitur continetur quam iis quibus abstinet. qua de re nequis censeat attulisse nos in parte priore res quasdam omnibus communes pro more Lucano uni proprio, demonstrandum nunc videtur re vera iis rebus differre eum a ceteris. iam vero id quod diximus Lucanum neque saepe iugasse vocales firmiores cum syllaba brevi neque usquam vocales quasvis in brevi altera nisi in thesibus prima et quinta, utrumque nequis casu factum credat, necesse est demonstremus quo modo se habeant ceteri.

Et quidem ad absolvendam quaestionem priorem satis est afferre exempla Ovidii epici, quem Vergilium Statium Silium Valerium paucitate elisionum multum antecedere omnes consentiunt. praetermitto notas ob rationes thesin primam; in secunda inveniuntur elisiones hae: 2, 776 nusquam recta acies 13, 549 non oblita animorum 645 quem nunc tanta homines 15, 171 sed tamen ipsa eadem est. tum 7, 412 obliquantem oculos 7, 860 infelicem animam 15, 846 passa recentem animam 12, 187 spectatorem operum 1, 469 diversorum operum 15, 383 melliferarum apium.

In thesi tertia: 5, 543 regina Erebi 13, 487 complexa animae 12, 539 genitorem odium 13, 284 his inquam umeris.

Tum vero in thesi quarta: 4, 404 simulacra ululare ferarum 8, 865 non iusta alimenta parenti 12, 498 natura animalia iunxit 15, 363 in parva animalia verti 813 in cisa adamante perenni 7, 34 pereuntem oculosque videndo 11, 447 in partem adhibere pericli 14, 480 sors autem ubi pessima rerum 15, 200 peragentem imitamina nostrae 2, 769 vitiorum alimenta suorum 8, 727 liquidarum imitatus aquarum 9, 145 properandum aliquidque novandum-

est 8, 828 non unquam alimenta recusat 9, 264 nequicquam ab imagine ductum 10, 220 fecundam Amathunta metallis: apparet Ovidium licentiam thesis primae usurpasse etiam in thesi quarta, quum in ceteris non multum distet ab Lucano. qua de re Hauptio[1]) non concesserim elisionem vocalium longarum poetam illum ea in sede non admisisse, et defendo hos quoque locos: 6, 656 quaerenti iterumque vocanti 4, 445 antiquae imitamina vitae, quos emendandos Hauptius censuerat. nam ne hoc quidem praetermittam, sunt qui consentiant cum Lucano: Manilius et Valerius Flaccus, quum praebeant hos tantum locos, ille[2]) 2, 83 terrena animalia signis 5, 91 qui caelum imitatur in urbe 107 Torquatum et Horatia facta; hic[3]): 3, 363 caesorum ab imagine solvit 4, 391 paulatim in imagine prisca 6, 18 hortatum ea vellera terris 7, 227 communem animantibus orbem.

Apparet Manilium et Valerium cum Lucano vitasse elisiones tales ut duriores in parte versus posteriore, ne exitus fiat insuavior. contra Statius et Silius cum Ovidio animosam neglegentiam Vergilii secuti sunt, ille in Thebaide[4]): 1, 217. 276. 626. 2, 254. 277. 384. 472. 3, 8. 35. 224 etc. etc. quin v. 4, 49: transmissi ab origine regis 8, 611 sed longa ab origine fati; hic[5]), ut solet, magis magisque audax in libris posterioribus: 1, 17. 3, 77, tum vero: 6, 303. 615. 690. 7, 105. 434. 8, 37. 48. 215. 9, 202. 10, 307. 11, 164. 547. 12, 633. 13, 18. 130. 336. 394. 465. 14, 462. 600. 15, 73. 195. 545. 696. 16, 149. 187. 643. 17, 33. 528. nec non inde a libro duodecimo v. 393: Messapi ab origine regis 13, 86 longaevi ab origine fani 15, 22 virtuti inimica voluptas 16, 370 Troiana ab origine equorum. et fortasse 17, 234 remeabo Anienis ad undas.

[1]) in Observ. critic. pag. 22 sqq. Opusc. I. pag. 94 sqq.

[2]) — recens. Frid. Jacob. Berol. 1846.

[3]) — recogn. Aem. Baehrens. Lips. 1875. Teubn.

[4]) recogn. G. Queck. Lips. 1854; in Achilleide (recens. Ph. Kohlmann. Lips. 1879) invenimus talem elisionem unam tantum: 1, 509 si quando avidissimus hauri.

[5]) secutus sum Bipontinam 1784.

Accedamus ad quaestionem alteram. et quidem in brevi altera pedis primi colliduntur vocales omnes cum omnibus et isdem acutis, cuius rei afferre exempla supervacaneum videtur. unus Ovidius ita stat cum Lucano, ut quidem vocales acutas iugaverit cum finalibus *e* et *i*, verum tamen rarissime cum ceteris. quam rationem ter tantum invenimus in Metamorphosesin. 11, 588 somnia ad Alcyonen 13, 184 flamina erant 15, 145 aethera et. quocum conferre satis habuimus elisiones vocalium firmarum ante particulam *et* ceteros apud epicos, quippe quae inveniantur quater in Pharsalia quoque. scripsit ergo Vergilius in Georgicis v. 3, 545 vipera et, et cf. Aen. 2, 482. 493. 3, 350. 478. 4, 221. 332 etc. tum vero Georg. 4, 243 stelio et. Aen. 1, 391 nuntio et. 2, 625 et 3, 3 Ilium et. 4, 387 audiam et. 684 abluam et, et similia ceteris in libris. Silius plane eadem ratione: 1, 254. 485. 593. 2, 464. 3, 48. 259. 261. 351 et alibi saepissime elisit finalem *a* sequente *et*, tum vero posuit 4, 626 et 6, 710 Scipio et. 9, 415 Curio et. 12, 483 hinc Nero et. 8, 477 Alsium et, et similia. neque aliter Manilius: 1, 14 aëra et, et conferas 2, 28 (ubi praev Jacobius editor retinuit: 'Persei et' contra emedationem optimam Bentleii: Persea et) 362. 4, 558. 5, 434. 625. 670 nec non 2, 246 ut leo et. 5, 536 alterum et. Statius vero et Valerius ante *et* finalem nullam nisi *a* (praeter *e* scilicet) elidere voluerunt, id quod apud Statium mirum quam saepe occurrit: in Thebaide 1, 37. 210. 218. 308. 354. 2, 101. 434. 534. 3, 70. 498. 4, 73. 245. 283. 535 etc. etc. in Achilleide 1, 27. 29. 88. 234. 258. 328 etc. apud Valerium in vv. 1, 382. 788. 2, 130. 586. 3, 99. 421. 4, 238. 413. 5, 50. 592. 6, 321. 468. 8, 50; quum tamen ponere 'ubera ab Hyrcanis [Thb. 7, 524] non ego Abantiadas [7, 370] si modo Agenorei [11, 571] et 'sub iuga aena toros' [Argon. 7, 596] nihil dubitarint.

In quinta porro thesi Vergilius Manilius Statius Silius Valerius saepissime eliserunt vocales firmiores, sed ne Ovidius quidem plane caret tali duritie, quum scripserit in vv. 2, 286 volnera aratri 10, 234 per crimina agentes 10, 190

papavera in horto, quin 6, 524 virginem et unam. at Lucianus Muellerus in libro de re metrica [pag. 290 sqq.] docet de tali elisione haec fere: dactylica qualia sunt 'arduum militum plurimum' timuerunt cum vocalibus coniungere Tibullus alii — praeterea ab Augusti aetate vel durioribus qui usi normis rarissime tamen admisere elisionem de qua agitur nec fere extra primum vel quintum pedem'. affert exempla duo Ovidii, unum Lucani [1, 231] 'Ariminum et ignes' et iterum addit paullo post [p. 291] 'notandumst plerisque auctorum pyrrhichiaca aut dactylica in a exeuntia praeter nomina propria non iugari cum brevi nisi aut in prima sede versus aut sequente etiam a. quorum in numero fuerunt' cum alii tum Lucanus. iam vero contendit ea de causa, apud Lucanum quod legatur 1, 487 'sed curia et ipsi' nominis proprii instar esse 'curia', et porro in Ovidii libris quae ferantur diversa a lege **ea vero esse falsa.** iubet ideo scribi in epistula Medeae v. 65: 'orat opem Minyis. petit altera *at* altera habebat. ex Ponto II, 4, 7 'ante oculos nostros tua adest tua semper imago' et porro in Homero Latino v. 599 'concreti fulguraque ignis' pro eo quod ipse ediderat 'concretaque fulgura et ignes'. et re vera rectissime Muellerus raro omnino in veniri elisionem vocis dactylicae in *m* extra thesin primam vel quintam contendit. verum tamen notandum est, item extra theses istas apud omnes, non solum quos numeraverit vir doctus, rarissime elisa esse dactylica et pyrrhichiaca in *a* et *o*. repperimus enim apud istos exempla tantum haec: scripsit Vergilius in thesi altera in Georgicis v. 2, 285 non animum modo uti pascat; in Aeneide vv. 6, 776 haec tum nomina erunt 10, 514 ardens limitem agit. Manilius in v. 2, 523 namque aries leo et arcitenens 3, 350 efficitur mora et attritis. Silius in vv. 3, 460 nam trabibus vada et iniecta 11, 247 infremuit leo et immersis 14, 458 Hammon sanguinem ait. nihil tale cum Ovidio Statius et Valerius. in thesi tertia unus Manilius v. 3, 557: modo adest vicibusque recedit. in thesi quarta Vergilius in Aeneide v. 2, 550 altaria ad ipsa trementem 6, 836 Capitolia ad alta Corinthi 7, 347 praecordia ad intima subdit 10, 459 magnumque ita ad aethera fatur, et conferas v. 11, 556; denique v. 7, 113 penuria adegit edendi; tum vero 10, 904 scio acerba meorum 2, 241 domus Ilium et incluta bello 5, 576 hoc Ilium et haec loco Troiam. — Manilius 2, 184 sentit quia uterque calorem 704 et omnia in omnibus astra 4, 473 et septima inutilis aestu 4, 466 vicesima et altera laedit. — Statius in Thebaide 11, 352 tu limina avita deosque; in Achilleide 1, 132 modo in ubera saevas. Silius 2, 430 certamina anhela movere 13, 387 et funera acerba suorum. 703 loca amoena piorum 16, 217 nunc litora Hibera cruorem; tum vero 8, 597 circumflua et undique sollers 10, 105. certamina et addere passim 13, 527 quidquid freta et igneus aer 575 sunt pocula et atra Megaera. — nihil simile posuere iterum Valerius et Ovidius.

Sunt exempla plus minus triginta ex octoginta milibus versuum, et eliditur ante particulam *et* decies fere, vocalis *a* vero sequente *a* altera itidem decies fere. quid ergo? apparet elisionem dactylicorum non magis licitam fuisse sequente altera *a* quam sequente particula *et*, quod quantum congruat cum consuetudine Lucani aliorumque in thesi prima facile intelligitur. et re vera usurpare eam licentiam poetae etiam in thesi quinta nil duitarunt: Vergilius in Aeneide 4, 645 limina et altos 2, 325 et 6, 64 Ilium et ingens 3, 109 Ilium et arces. Manilius 3, 24 otia et omnis 446 cogentia et umbras 540 tempora et astra. Statius in Thebaide 6, 942 nubila et altos 7, 817 sidera et umbrae 4, 466 sanguinem et omnes, ubi quidem Muellerus postulat 'sanguen'; Silius 3, 38 Erymanthia et altos; tum vero in libris ultimis 10, 318 tegmina et ore 519 fortia et hoste 571 velamina et auro, et porro 11, 141. 339. 554. 12, 213. 259. 13, 99. 15, 51. 500. 16, 606. Valerius 2, 104 effera et ingens. 7, 551 ne vellera et ipsa.

Tantum igitur abest, ut putem Muellerum istam ob causam iure mutasse locos ab ipso allatos, ut e contrario contendam turpiter corruptum esse versum Homeri Latini. nam pedem

sextum cum quinto ita copulabant ceteri quidem, ut Vergilius in Georgicis 2, 464 Ephyreiaque aera 3, 105 exultantiaque haurit 349 Maeotiaque unda (et conferas Aen. 1, 177. 569. 3, 111. 5, 817, 7, 648. 696. 8, 249. 9, 576.) Statius in Thebaide 1, 324 Danaeiaque arva 453 Acheloiaque arva 546 languentiaque ora 716 Junoniaque arva etc. etc. Silius raro: 1, 704 Saturniaque arva 12, 873 pallidaque intus; vel ita, ut Vergilius in Aen. 3, 581 intremere omnem; Silius 15, 652 ite agite oro; Valerius 2, 519 intremere inde 8, 224 erigere aras 5, 680 accipite ordo: Ovidius vero et Lucanus rarissime adhibuerunt eam rationem, ille 12, 348 minitantiaque ora, hic 6, 533 ardentiaque ossa. quibuscum et maxime cum Lucano congruere epitomatorem Iliados infra ostendemus. retinebimus ergo sine ullo dubio 'fulgura et ignes'.

Ovidium porro in Metamorphosesin extra thesin primam et quintam in tertia syllaba dactyli nullas elisisse vocales praeter *e* et *i* correptas apparet exemplis supra [pag 26 sq.] collatis ceterorum. in epistulis vero heroidum[1]) invenitur *a* finalis tali modo ablata uno loco: [8, 71] 'trans aequora ab hospite rapta'. (praetermitto pentametros [4, 144] 'oscula aperta dabas, oscula aperta dabis' et [10, 86] 'quis scit an haec saevas tigridas insula habet') quid si reponimus 'trans aequor'? qua de re hoc quoque loco 'petit altera at altera habebat' non satis stabilita sententia Muelleri mihi videtur, quamvis alias ob causas fortasse mutari *et* codicis P in *at* necessarium sit. tum vero in epistulis ex Ponto nullam omnino invenimus elisionem talem finalis *a*, qua de re nihil dubitamus quin prava sit emendatio Muelleri 'tua adest tua semper imago'. non tamen eam ob causam magis placet vulgata lectio: 'tua enim est tua semper imago' sed multum praeferimus cum Riesio Bentleii 'astat tua semper imago', quum 'astare' sit ex vocibus Ovidio usitatissimis.

Iam denique omni ratione caret dubitatio Muelleri, num revera scripserit Petronius in bello civili v. 14: 'quaeritur in silvis auro fera et ultimus Hammon Afrorum excutitur', quoniam Petronius sine dubio ab Ovidii Lucanique suavitate differre studuit. quamquam elisiones duriores inveniuntur in versibus tam paucis tantum hae: v. 95 'Romanosque cie ac nostris da funera regnis' 271 'intremuere tubae ac scisso discordia crine', tum vero in exitu versus 255 'horrida Erinnys' more Vergilii et Silii [Aen. 7, 570] condita Erinnys, [Pun. 2, 625] verbera Erinnys, quod vitasse Lucanum et plerumque Ovidium vidimus. maxime vero similes mihi videntur eius versus versibus Silii, quippe qui postea Eumolpi[1]) leges de carmine vere epico faciendo tam accurate observaverit. retinemus ideo hoc quoque loco 'fera et' collatis locis Silii supra allatis 'vada et . leo et . circumflua et . freta et'.

Quae quum ita sint, nemo mihi persuadebit Muelleri leges hac de re intricatissimas pro vera ratione poetarum esse habendas, quum tot loci discrepantes elisione ante *et* particulam admissa facile explicentur ita, ut coniecturis viri docti nihil opus sit: e contrario contendo leviores elisiones esse istas 'curia et ipsi, Ariminum et ignes' eam ipsam ob causam quod Lucanus eas admiserit, quum tamen frustra quaeras in Pharsalia tales: 'hostia ad aram [Georg. 3, 486] moenia Abellae [Aen. 7, 740], nedum 'sidera opacae [Aen. 10, 161] cognita ut essent [Manil 1, 38] aspera ubique [Stat. 5, 73] in saecula ituro [Sil. 12, 312]. nihil ergo opus est coniecturis virorum doctorum, ut Grotii: 'Ariminon, ignes', nedum eiusdem 'Ariminum, ut ignes' aut 'Ariminon, et iam' Bentleii. quin sunt qui srcipserint cum hiatu in Lucano intolerabili 'Ariminum . ignes' tollunt dubitationem omnem codices optimi A B consentientes ambo nobiscum in lectione 'Ariminum et ignes'.

Ad finem capitis primi pervenimus: age videamus num locutio poetica legibus versus expositis arctata differat a locutione ceterorum. apparet vero Lucanum quum extra

[1]) ed. Al. Riese. Lips. 1871.

[1]) ap. Buechelerum p. 82. cap. 118.

thesin primam et quintam voces dactylicas et pyrrhichiacas elisione non comminuerit neque ausus sit collidere finales talium cum syllaba acuta, coactum fuisse abstinere locutionibus non tam paucis apud ceteros usitatissimis . affero hos tantum:

Cernere erat Aen. 6, 596. 8, 676. Sil. 2, 414. 6,41. sistere erat Sil. 1, 163. credere erat Sil. 14, 215. contendere erat Ovid. 5, 315. comprendere erat Sil. 3, 408. flectere iter Aen. 7, 35. pergere iter Valer. Fl. 4, 690 pandere iter Sil. 12, 127. spargere humo Ov. 5, 647. tollere humo Ov. 7, 640. vertere humo Stat. Theb. 2, 560. iungere equos Ovid. 2, 118. nedum: debita erat Aen. 11, 166 et similia. plane porro desiderantur talia: grave et implacabile numen Ovid. 4, 451. grave et immutabile sanctis Stat. 1, 212. grave et inlaetabile munus id. 3, 706. breve et inreparabile tempus Verg. Aen. 10, 467 (quae omnia aliam quoque ob causam Lucano non quadrasse in versum capite altero demonstrabimus) vel haec Vergilii: grave olentia centaurea Georg. 4, 270 grave olentis Averni Aen. 6, 201 bene olentis anethi Eclog. 2, 48; Tibulli: bene olentibus arvis IV 2, 17; Statii: bene habet Theb. 11, 557. — quin ne haec quidem scripsit Lucanus: neque ego Eclog. 7, 14. Valer. 5, 650 Sil. 17, 357 etc. etc. neque habet Aen. 11, 413. Ovid 5, 594. 10, 506 etc. neque eras Ov. 7, 229. 236. 9, 707 etc. neque eum Ov. 5, 233. 593 etc. neque adhuc Ov. 1, 132. 8, 423. 9, 273 etc., quae tamen scribendo 'nec' licebat fortasse admittere. prorsus tamen desunt Lucano: tibi enim, sibi enim Ovid. 1, 250. 4, 17. 12, 191. 13, 855. 15, 581. Aen. 8, 84. Stat. 6, 633. 10, 338. Sil. 13, 136. tibi ego Sil. 2, 678. tibi erunt Eclog. 6, 6 — non licuit ponere: sine honore Aen. 5, 272. Stat. 5, 333. Sil. 13, 627. Valer. 1, 514. 5, 736. Ovid. 2, 387. 11, 216. 13, 446. Trist. 3, 3, 45. sine amore Tibull. I. 2, 75. Ov. 7, 25 et al., sine acumine Ov. 2, 376. 8, 354. sine imagine Ov. 1, 87 et similia.

Haec sat erunt; ne longus sim, admirabilis videtur facilitas qua vitaverit Lucanus locutiones tales, quas tamen ipsi

eruditi ea in re inevitabiles fere esse in sermone epico libenter concedent.

CAPUT II.

Pars prior.

Pedes sive spondaici sive dactylici quot sint quove loco soleant statui in versu Lucani inquirere fructum habere non ita magnum mihi videtur. qua de re omissa tali quaestione[1]) ad exitum hexametri tractandum properemus.

Lucanus versus quos scripsit fere cunctos vocibus aut trisyllabis aut disyllabis conclusit et quidem ita, ut ubique consentiat accentus naturalis cum metrico. eam vero ob causam in thesi quinta verba pyrrhichiaca raro inveniuntur, quum in arsi antecedente necessario vox monosyllaba ponenda fuerit[2]), quarum tamen longe plurimae sunt aut formae verborum aut pronominum aut particulae indeclinabiles, quibus positis in arsi quinta verba sententiae graviora in thesi stare non potuisse apparet, in primis substantiva[3]), praesertim quum elisiones in arsi sexta Lucanus tantum has admiserit[4]). 1, 682 sine hoste est 2, 266 sine armis 4, 162 9, 770 sine ullo 10,82 sine ullis 7, 601 sine illo 3, 389 A B neque ipso 4, 452 neque illa (ita Cortius; Weberus: nec illa) 9, 424 neque auro (item Cortius, Weberus: nec auro, et conferas: 1, 85 nec unquam 5, 348 nec hoste) 8, 644 ubi ipsa. 2, 255 tibi uni, nec non 6, 533 ardentiaque ossa, quo de loco conferas supra pag. 28. occurrunt ergo exitus tales tantum hi: 1, 303 sic ubi saeva 3, 550 sic ubi puppes 8, 589 haec ubi frustra 775 haec ubi fatus 1, 202

[1]) vide: Drobisch, Formen des lat. Hexam. (Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1866. 1868. 1875.) Hultgren, observ. metr. Jahrb. f. Phil. 1873. Birt, historiae hex. lat. symbola. Bonn 1876.

[2]) contra Vergilius in Aeneide: 10, 471 etiam sua Turnum. 772 quantum satis hastae. 11, 170 magni Phryges et quam.

[3]) ut Vergilius Aen. 9, 394 quem iam manus omnis. 10, 153 haut fit mora Tarchon.

[4]) contra idem Vergilius Aen. 10, 508 haec eadem aufert. 12, 26. simul hoc animo hauri.

nunc quoque miles 7, 675 sed tu quoque coniunx 10, 292 quaerunt tamen hi quoque Seres 9, 94 o bene nudi 1058 o bena rapta 9, 161 has mihi poenas; et porro antecedente negatione 7, 137 non vacat ullos 819 qui non habet urnam 9, 800 non capit artus 8, 647 haud ego culpa | libera'; scilicet quia in sermone pedestri quoque acuta erat particula negans. de locis denique his: 3, 187 et vagus altis 6, 363 et tuus Oeneu 8, 842 et velit uti 1, 417 at mihi semper 6, 266 aut latus alti 3, 193 quum rudis Argo' vide id quod ostendimus in capite tertio [pag. 54 sq.]

Saepissime ergo occurrunt exitus tales: 1, 3 viscera dextra 17 vere remitti 1 civilia campos 26 custode tenentur 2 populumque potentem et similia. voces tamen per duas arses pertinentes, scilicet per quartam et quintam, praemittere versus ultimae mirum in modum Lucanus vitavit ita, ut inveniantur exitus tales ex octo milibus fere versuum vix in triginta: 1, 337 vix consummata veneno 386 simul adsensere cohortes 2, 219 vix eluctatus in undas 3, 662 morti obluctata lacertis 735 vastae obduxere tenebrae. 4, 280 sic deflagrare minaces 5, 117 mors immatura recepti 6, 221 Libys amentavit habena 7, 378 si maiest ate liceret 508 levis armatura maniplos 8, 329 et nobilitate dolendi 614 atque indignatus apertum 9, 97 pro libertate Catoni 257 et Pompeiana fuisti 273 non obsidione subacti 332 flatum effugere prementem 335 atque interrupta profundo 715 atque indiscretus arenis; tum 1, 509 ruit irrevocabile vulgus 5, 415 vetat inconstantia veris; et ita ut expleatur thesis quoque tertia caesura antecedente: 1, 270 libertatemque tueri, et item 2, 282; 3, 421 circumfluxisse dracones 4, 680 aequaturusque sagittas 6, 484 circumlabentis Olympi 7, 394 Laurentinosque penates 9, 807 miratorique Catonis.

Ii sunt loci omnes, admodum pauci: quod ne quis casu factum censeat parte huius capitis altera ceterorum consuetudines breviter ostendemus. operae pretium tamen videtur conferre exempli gratia carmen in Pisonem, quippe quod diu

Lucano adscriptum fuerit: inveniuntur enim in versibus ducentis uno et sexaginta exitus tales tredecim: 7. 27. 95. 98. 103. 104. 111. 118. 121. 172. 189. 235. 252. 256. ita ut versus fere vicesimus quisque ita sit formatus, in Pharsalia fere tricentesimus quadragesimus quisque. tum vero si eclogas Calpurnii perlustrabimus secuti ducem illustrissimum Mauritium Hauptium[1]), denuo mirabimur sagacitatem viri doctissimi: en habes in eclogis[2]) septem prioribus versus tales triginta quattuor: 1, 5. 26. 29. 85. 2, 20. 60. 3, 23. 37. 80. 84. 4,33. 49. 88. 115. 157. 5, 10. 11. 13. 32. 45. 56. 63. 94. 6, 6. 24. 30. 39. 54. 56. 7, 22. 24. 29. 50. 69, itidem vicesimum secundum quemque ex versibus septingentis undesexaginta, id quod mirum quantum convenit cum panegyrico. contra in carminibus Nemesiani tres tantum versus ita concluduntur: 9, 55. 11, 15. 68, nullus in carminibus octavo et decimo. et porro singulas eclogas inspicienti apparebit magis magisque increscere numerum in posterioribus, in quarto quinto sexto septimo, evanescere contra plane — excepto versu 5, 60 — elisionum usum, ita ut similitudo cum panegyrico mirum in modum magis atque magis eluceat, qua re Hauptii sententiam aliqua ex parte sustentasse mihi videor, multumque abest ut contemnam ea quae de Calpurnio laudatore Pisonis dixerit, quamvis per virum doctum ipsum liceat[3]).

Iam redeamus ad Lucanum. recte Bentleius istam ob causam in versu 1, 176, quamvis Priscianus[4]) confirmaverit: 'diversa genera similiter construuntur, ut Lucanus in I: hinc leges et plebiscita coactae' monstrum constructionis talis expulit reponens 'plebis scita'. et iam supra [in pag. 13 sq.] vidimus grammatico codices deteriores in manu fuisse. noster vero optimus A etiamnunc clare exhibet emendationem viri criticissimi, B teste Oudendorpio scriptum duabus 'plebi

[1]) Opusc. I. p. 358sqq.
[2]) ed. C. E. Glaeser. Gotting. 1842.
[3]) l. l. p. 392: 'neque graviter feram siquis ea contempserit'.
[4]) lib. XVII, 158. p. 1100. Hertz. Prisc. II p. 185.

scita'. Cortius tamen pro sua consuetudine ingenti mole locorum undique collatorum refutare Bentleium conatus monstrum in textu retinuit.

In versu 5, 595 scribendum censeo 'fragilemque super | volitantia malo' cum tmesi praepositionis, quamvis posuerit pro composito Hauptius 'infelix sua tecta supervolitaverit alis' [Verg. Eclog. 6, 81. Ciris. 51], nam quod Vergilio erat licitum, non placuit Lucano, quippe qui caesura post trochaeum tertium usus non sit[1]).

Felices ideo emendationes non possunt videri Bentleii in v. 1, 402 'longa obsidione Rutheni' pro 'longa statione', quae coniectura elisionis quoque ratione Lucano vix apta videbatur [vide supra in pag. 22]; 2, 308 'Decium oppressere catervae' pro 'pressere'; 3, 54 'sibi conciliaret amores' pro 'populi conciret amores'. apparet ubique Lucanum usurpasse verba insolentiora ut vitaret longiora.

Sed haec hactenus de exitu Lucano gratissimo, vocibus scilicet aut disyllabis aut trisyllabis constituto. occurrunt tamen formae etiam aliae quamvis raro. et quidem semel invenitur exitus 'tabificus seps' consulto ut videtur ita formatus: v. 9, 723. agitur de anguibus Africae vv. 722 sqq.:

> oraque distendens avidus spumantia prester
> ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps
> sibilaque effundens cunctas terrentia pestes.
> ante venena nocens — regnat basiliscus arena.

Cortius nulla ratione addita v. 723 expungi iussit 'ni fallor, ut ait Weberus[2]), propter simile huius et praecedentis versus initium', et ostendit 'similes vel easdem voces ab initio proximorum versuum in Pharsalia saepius esse repetitas', quod tamen longius demonstrare supervacaneum est, quum consilium allusionis apertum sit.

Ubicunque alias invenitur verbum monosyllabon in exitu positum, ubique praemittitur alterum eiusdem generis: nusquam

[1]) agemus ea de re in capite quarto.
[2]) in dissert. p. 632.

occurrit trisyllabon aut iambicum monosyllabo sequente, qua re efficitur ut hoc quoque in exitu accentus metricus fere ubique concinat cum naturali. et sunt loci hi: 2, 81. 4, 685. 8, 659 non est. 4, 229 hoc est. 5, 34 hic est. 6, 437 ars est. 7, 456 fas est. 8, 452 sors est; 'siquis' vero 9, 327 pro voce una esse habendum, notissimum est. de locis porro his: 4, 587. 10, 486 qua se 6, 739 quae te. 6, 700 per quam 9, 854 de te' in capite tertio agemus [pag. 56.] multo melius ergo scribemus in v. 9, 1081 sq.: 'nec fallere vosmet | credite victorem' cum codicibus ut videtur optimis, quam id quod tamen plurimi ediderunt 'vos me'.

Hypertrisyllabon de forma ionici a minore posuit Lucanus semel in libro ultimo v. 318. 'et praecipites cataractae' optime ut apparet usus arte onomatopoeiae quam vocant. nusquam vero explevit una voce pedes duos ultimos, ne Graecanicis quidem formis, ut 'pulcherrima Deiopea, perfractaque quadrupedantum', exceptis scilicet versibus spondiacis, quorum inveniuntur in Pharsalia quattuordecim: 1, 329 pavit cruor armentorum. 9, 329 avertitur armamentis. 10, 216 lunaribus incrementis. 1, 665 fulget latus Orionis. 9, 836 victi decus Orionis. 2, 675 rapidi super Hellesponti. 9, 719 vergens caput Amphisbaena. 2, 396 qua collibus Appenninus. 5, 598 caput exeris Atlanteo. 9, 297 et moenia Cyrenarum. 918 et Thessala Centaurea. 8, 697 indignaque Mausolea; tum 1, 689 atque aeriam Pyrenen. 6, 386 Ixionidas Centauros; compositi ut apparet cuncti summa arte, qua de re conferas ea quaedocuit A. Viertelius in Annalibus Philologicis anni 1862.

Pars altera.

Ea quae leguntur in parte priore habui quae dicerem de exitu versus Lucaniani, pauca ut apparet ideo quod Lucanus concludere studuit hexametrum quam maxime clare et distincte. qua in re quantum differat a ceteris demonstrare supervacaneum est, quum viri docti non raro ea de re iam disseruerint. verum tamen dignum videtur quod accuratius exponatur quomodo se egerint epici in ponendis vocibus per pedes

complures pertinentibus ante vocem ultimam. Lucanus quidem formare saepius exitus tales noluit ni fallor, quia rhythmus incisione ita deficiente minus distinctus redditur[1]). et re vera in versibus elegiacis, qui solent construi arte quam maxime expolita, item rarissime occurrunt exitus isti, ita ut inveniatur in libro Tibulli primo — in hexametris scilicet — nullus, in libro altero tres tantum: 1, 61 curam exhibitura puellis. 3, 73 nulla exclusura volentes. 5, 93 parvo advigilare nepoti; apud Lygdamum et item apud Tibullum atque Sulpiciam nullus. saepius eos admiserunt Propertius Ovidiusque; nullus tamen occurrit in libro primo Propertii et in tertio Artis Ovidianae. et omnino in carminibus Nasonis perfectissimis, Amores dico et Artem, non multo plus vicies inveniuntur: Amor I, 4, 57. 7, 45. 8, 27. 53. 55. 85. II, 6, 45. 19, 35. III, 3, 39. 4, 31. 7, 67. 73. 9, 19. A. A. 1, 293. 327. 371. 469. 2, 145. 315. 345 435. 641. hexametrorum vero sunt plus duo milia.

Sed videamus de epicis. satis habuimus conferre libros uniuscuiusque et in quo repperimus numerum talium versuum minimum et in quo maximum. porro addidimus medios qui vocantur numeros. — habes ergo in libro Aeneidos primo undecim vv. 53. 80. 219. 255. 339. 386. 396. 428. 586. 651. 713. versum quemque septuagesimum quintum: tum vero in secundo statim libro duodetriginta vv. 4. 31. 45. 83. 86. 93. 138. 148. 179. 188. 192. 197. 229. 238. 324. 365. 383. 425. 427. 456. 457. 516. 521. 602. 669. 751. 776. 796. versum fere trigesimum quemque[2]). — apud Ovidium in Metamorphoseon libro octavo sedecim: vv. 22. 99. 144. 262. 264.

[1]) cf. Christ, Metrik² pag. 188: „das richtige Gefühl, dass der Mangel an Worteinschnitten den Rhythmus schwerfällig mache“ (de exitu ionico ⏑ ⏑ — ⏑) quadrat in voces istas quoque.

[2]) adnotatione qui afferatur dignus videtur liber III, quippe qui plane congruat cum II, versus tales exhibens viginti quattuor: vv. 52. 262. 269. 273. 282. 284. 328. 330. 353. 409. 420. 430. 466. 478. 489. 528. 580. 587. 613. 653. 670. 691. 707. 708. et item versum fere trigesimum quemque. videntur ergo libri II et III uno tenore conscripti.

269. 373. 386. 388. 425. 623. 649. 655. 736. 835. 836. versum quinquagesimum quartum quemque, quo cum numero congruunt fere libri III et X. in libro quarto decimo versus triginta quattuor: vv. 11. 21. 55. 86. 101. 116. 129. 134. 140. 151. 159. 161. 179. 191. 211. 227. 249. 263. 271. 282. 294. 354. 430. 436. 446. 481. 519. 571. 648. 666. 672. 673. 826. 827. 844. versum quemque vigesimum quartum, a quo numero non multum differunt libri XII et XV. — apud Statium in Thebaidos libro IV viginti quatuor: vv. 62. 71. 163. 187. 192. 252. 329. 363. 386. 405. 473. 500. 575. 577. 579. 659. 725. 731. 783. 790. 796. 828. 836. 838. versum quemque trigesimum quintum et congruunt fere libri III et V antecedens et consequens. contra libri VI, VII, VIII, IX, X, XI ingentem praebent numerum, inprimis septimus unum et quinquaginta 24. 42. 57. 86. 90. 98. 106. 161. 164. 170. 203. 239. 247. 260. 267. 290. 306. 307. 316. 318. 323. 330. 347. 348. 366. 417. 418. 470. 477. 478. 484. 485. 524. 535. 581. 619. 620. 623. 643. 648. 650. 690. 701. 714. 736. 743. 764. 773. 776. 810. ita ut sit iam versus quisque sextus decimus tali ratione formatus (Achilleidem ut non absolutam nil moror; tamen invenies in versibus eius mille et centum viginti septem exitus tales plus triginta, quos affere longum est). — apud Silium denique in libro IV occurrunt versus tales quindecim: 16. 68. 187. 203. 206. 221. 248. 260. 316. 476. 584. 618. 625. 653. 719. versus quisque quinquagesimus quartus, neque sunt omnino libri multi qui praebeant plus viginti: plus triginta vero libri tantum VIII et XI, ex quibus ille plurimos omnino exhibet triginta septem: 5. 53. 64. 76. 78. 110. 138. 169. 213. 246. 251. 258. 265. 292. 311. 314. 327. 358. 375. 395. 410. 439. 453. 481. 508. 573. 575. 578. 589. 590. 591. 610. 622. 625. 626. 628. 651. versum quemque duodevicesimum.

Contra Valerius hac quoque re, ut aliis quoque, differt a ceteris quam maxime. praetermitto tres versus hoc modo formatos libri ultimi non absoluti ut videtur: verum tamen

etiam in libro III inveniuntur tantum septem, vv. 12. 191. 403. 444. 510. 535. 729. versus quisque centesimus sextus, et rursus in libro VI novem; vv. 6, 185. 327. 449. 465. 497. 607. 651. 689. versus quisque octogesimus quartus.

Neque neglegenda sunt cetera Vergilii opera. et quidem in Georgicon libro secundo occurrunt versus tales octo: 61. 128. 157. 222. 244. 345. 372. 491 versus quisque duodeseptuagesimus, contra in primo decem et septem: 4. 27. 155. 211. 228. 247. 268. 304. 359. 365. 373. 377. 454. 470. 476. 484. 512. versus quisque trigesimus; in ceteris vero quattuordecim et sedecim. tum vero in Eclogis insunt octo ex versibus nongentis quattuordecim: 3, 7. 57. 110. 5, 27. 6, 66. 7, 5. 10, 4. 5. versus quisque centesimus decimus quartus ita, ut hac quoque re versus Vergilii bucolici differre videantur ab epicis. nam ut addamus numeros medios, concluditur tali ratione in Aeneide versus quisque quinquagesimus fere, in Georgicis quadragesimus, Silio trigesimus quartus, Statio et Ovidio vigesimus[1]), Valerio autem nonagesimus. nullus ergo ea in re congruit cum nostro. quin Petronius item ac Vergilius et Ovidius segregans versus lyricos et epicos in distichis exitum talem formavit semel[2]).

una est nobilitas argumentumque coloris
ingenui, timidas non habuisse manus.

contra in bello civili decies in versibus ducentis nonaginta quinque: 12. 20. 79. 163. 192. 195. 224. 227. 251. 286, versum quemque trigesimum. in capite 139 porro unus ex hexametris octo ita legitur: 'non solum me numen et implacabile fatum'. apparet hac quoque in re satiricum fuisse adversarium Lucani, quum quam maxime congruat cum Silio.

---

[1]) quibuscum plane congruit Grattius. Ovidii familiaris quum praebeat versus tales viginti tres ex quingentis quadraginta uno: 64. 72. 93. 104. 130. 134. 141. 159. 177. 181. 183. 190. 192. 197. 205. 229. 248. 291. 309. 407. 427. 502. 520. versum quemque vigesimum tertium. contra in Halieuticis Ovidio adscriptis nullus exitus eius modi invenitur in versibus fere centum et triginta.

[2]) ap. Buecheler. pag. 115. frgm. 37. v. 7. sq.

Quae quum ita sint, ea in re indagasse nobis videmur non quidem legem certis rationibus constitutam, verum tamen suavitatem quandum auribus auctoris atque aequalium magis minusve placitam. et re vera versibus his:

Aen. 1, 53 luctantes ventos tempestatesque sonoras.
ib. 339. set fines Libyci: genus intractabile bello.
Ovid. Met. 2, 9. Proteaque ambiguum ballaenarumque prementem.
ib. 2, 546. detegeret culpam non exorabilis index.
Trist. V. 5, 61. di tamen et Caesar dis accessure sed olim.
ib. 8, 29. exemploque deum quibus accessurus et ipse est.
ex Pont. IV. 10, 83. haec tibi qui perstas indeclinatus amico.
ib. II. 5, 5. condor in hoc aevo res intermortua paene.

his aio versibus inesse aliquam gravitatem rei quam describant aptissimam nemo negabit. rursus versibus his:

Lucan. 1, 509. plenus abit visu: ruit irrevocabile volgus.
Horat. ep. I. 18, 71. et semel emissum volat inrevocabile verbum.
Ovid. Met. 3, 462. verba refers aures non pervenientia nostras.
ib. 6, 259. expulit hanc sanguis seque eiaculatus in altum | emicat.

optime depingitur motus agitatus. quamquam nimia frequentia exitus istius versus Ovidii et maxime Statii languidiores fieri facile apparet legenti locos tales:

Metam. 3, 487. non tulit ulterius sed ut intabescere flavae
igne levi cerae matutinaeque pruinae
sole tepere solent sic attenuatus amore | liquitur.
Theb. 2, 740; nutriet arcanum nunquam inspectura pudorem.
tu bellis tu pace feres de more frequentes
primitias operum non indignante Diana.

dixerat et dulces iter instaurabat ad Argos.
ib. 10, 161. Thiodamanta subit formidandoque tumultu
pandere fata iubet, sive hanc Saturnia mentem
sive novum comitem bonus instigabat Apollo
prosilit in medios visu audituque tremendus.

quin Silius in libro VIII qui est confertus versibus istis scripsit:

v. 589: flexi cornipedis duro exercebat in ore.
vos etiam accisae desolataeque virorum
Eridani gentes nullo attendente deorum.
et v. 625: defigunt diro signa infelicia vallo
nec tanta miseris iamque impendente ruina
cessarunt superi vicinas prodere clades.
per subitum attonitis pila exarsere maniplis.

Sed haec hactenus. necessse porro est scriptores, quorum alter exitus tales valde amet, alter quam maxime vitare studuerit, multum differre inter se in elocutione. ac primum quidem apparet eum qui solitus sit ponere voces tam longas in pedibus quarto et quinto, multo magis coactum fuisse comminuere vocem antecedentem quamque elisione. et re vera Lucanus rarissime in arsi quarta elisit quum vocales longas[1]) tum ceteras. exceptis encliticis '-que, -ve' eliduntur tantum haec:

1, 472. falsa in praeconia linguas[2]).
474. ruere in certamina turmas[2]).
2, 158. necdum omni sanguine fuso.
4, 361. turba haec sua fata peregit.
388. nempe usis Marte secundo.
496. magnum et memorabile fatis.
5, 21. primum hoc decernite patres.
580. causa haec est iusta timoris.
6, 452. dura in praecordia fluxit[2]).

---

[1]) vide supra in pag. 16. ambobus locis ante voces generis tractati.
[2]) v. infra pag. 53.

7, 867. nuda atque ignota iaceres.
9, 332. flatum effugere prementem.
10, 185. media inter proelia semper.

item Valerius ideo rarius elisit in arsi quarta, quod ut demonstremus, satis habuimus afferre exempla libri secundi quattuor: v. 117 digna atque indigna conentem. 274 linque o mihi caede madentem. 235 aliae ad fastigia taedas. 520 pronae atque resurgere puppes. tum vero ante voces tractatas elisit: 1, 573. 2, 18. 3, 12. 444. 5, 447. 6, 6. 465. 7, 653 longas vocales 1, 813, 7, 137.

Contra ceteri multo saepius elisere vocales productas ante voces istas, quin Ovidius in Metamorphosesin: 1, 71. 2, 475. 4, 361. 7, 92. 8, 736. 11, 686. 12, 529. 13, 433. 14, 11 et 271. 179. 282. 666. 15, 719. Vergilius in Georgicis: 1, 210. 304. 365. 454. 476. 484. 512. contra in secundo: vv. 128. 244. 345. Statius in Thebaidos libro primo: vv. 301. 531. 558. in secundo v. 504. contra in sexto: vv. 160. 479. 650. 731. in octavo: 21. 510. 592. Silius in libris primo et altero: 1, 12. 288. 295. 411. 426. 2, 256. 388. tum vero in octavo: vv. 169. 213. 246. 265. 292. 327. 481. 589. 591[1]). Calpurnius quidem eximia arte versus faciendi elisiones tales plane vitavit.

Voces deinde tales: 'irrevocabile, inconstantia' apparet Lucanum adhibere potuisse non nisi ita ut expleverint sedes versus quartam et quintam hoc modo:

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — || ⏑̄ ⏑̄ | — ⏑̄ ⏑̄ — ⏑ ⏑ | — ⏑.

quum neque in sedibus prima ac secunda — item in versu semiseptenaria dispertito in sedibus secunda ac tertia — nota ratione liceat ponere voces cum exitu dactylico, neque Lucanus elisionem ultimae admiserit. exceptis ergo locis duobus istis 1, 509. 5, 415 quum nusquam alibi in Pharsalia voces tales occurrere possint, quantum differat necessario sermo poeticus Lucani a ceterorum breviter ostendemus.

---

[1]) quin verba iambica ausus est collidere cum istis. vide Lachmannum in commentario Lucretiano ad v. III 954. pag. 198 sq.

'Irrevocabile' unicum est adiectivum ex ingenti numero aliorum quibus uti epici solebant: admirabilis Stat. 6, 65. Ovid. Met. 6, 14. Sil. 3, 685. 6, 305. 17, 596. Calpurn. 7, 50. evitabilis Ov. 6, 237. inevitabilis Ov. 3, 301. Stat. 9, 549. Sil. 14, 447. exitiabilis Ov. 6, 257. 8, 425. Stat. 1, 395. Sil. 6, 151. 9, 496. 14, 306. 15, 384. expugnabilis Stat. 4, 836. 6, 103. inexpugnabilis Ov. 5, 486. 11, 767. exuperabilis Georg. 3, 39. Stat. 1, 214. insuperabilis Aen. 4, 40. Ov. 15, 807. Valer. Fl. 3, 12. 510. formidabilis Ov. 2, 174. 857. 14, 116. Stat. 4, 473. 8, 582. 9, 544. immedicabilis Aen. 12, 858. Ov. 1, 190. 2, 825. 10, 189. Sil. 1, 147. 14, 292. impenetrabilis Stat. 3, 15. Sil. 4, 46. 6, 413. 7, 559. implacabilis Aen. 12, 3. 816. Ov. 4, 451. Stat. 1, 440. Sil. 4, 625. 17, 253. ineluctabilis Aen. 2, 324. 8, 334. Stat. 5, 45. 9, 390. inexorabilis Georg. 2, 491. Ov. 5, 244. Stat. 1, 5. 6, 48. Valer. Fl. 5, 320. Sil. 13, 578. 16, 97. exorabilis Sil. 5, 131. inlaetabilis Aen. 12, 619. Stat. 3, 706. 5, 633. inremeabilis Aen. 5, 591. 6, 425. Stat. 1, 96. Sil. 5, 41. inreparabilis Aen. 10, 467. Georg. 3, 284. intractabilis Aen. 1, 339. Georg. 1, 211. inviolabilis Aen. 11, 363. Stat. 6, 384. Sil. 3, 127. 16, 16. lamentabilis Aen. 2, 4. Ov. 8, 263. Stat. 1, 68. 11, 160. Sil. 6, 78. 204. et similia paene 'innumerabilia', nam voces usitatissimas tantum contulimus.

Item ad verbum 'inconstantia' conferas: ignorantia Ov. 7, 92. Stat. 6, 560. 8, 450. experientia Georg. 1,4. 4, 316. Ovid. 1, 225. 7, 737. Grattius 427. Stat. 6, 775. 7, 701. indulgentia Georg. 2, 345. Grattius 141. 309. tum in Pison. 99 et Calpurnius in ecloga quarta v. 33. et saepissime 'inclementia': Georg. 3,68. Aen. 2, 602. Stat. Theb. 1, 650. 5, 173. 502. 11, 684. Achill. 1, 73. Sil. 2, 596. Valer. Fl. 2, 468. 7, 416.

Sunt praetera verborum genera alia quae plane desiderantur in Pharsalia. Lucanus igitur id quod Vergilius dixit in Aeneidos libro altero v. 427 'servantissimus aequi' expressit ita [2, 389] 'rigidi servator[1]) honesti', quum tamen

[1]) verba substantiva auctoris in '-tor' more Ovidiano Lucanus amat ponere pro adiectivo: famae petitor 1, 131. populus cultor Amani 3, 244. coeli fuscator Eoi Corus 4, 66. iusti dissuasor gladius 4, 248. Assyrii scrutator pallidus auri 4, 298. Appius scrutator fati 5, 122. Bagrada sulcator arenae 4, 588. simulator Sabura belli 4, 722. Poenus humator consulis 7,799. Libycae finitor circulus orae 9, 496. ultimus haustor aquae 9, 591 etc. ex quibus sunt non pauca ἅπαξ εἰρημένα. quin scripsit 9, 720 et Natrix violator aquae.

ceteri et in primis Ovidius et Statius saepissime usi sint superlativis istis. conferas 'confidentis sime' Georg. 4, 445. formosissimus Eclog. 3, 57. Ov. 4, 209. 10, 522 tum vero Ovidius in Metamorphosesin: audacissimus 3, 623. ignotissima 5, 540. felicissima 6, 155. laudatissima 11, 637. dotatissima 11, 301. consuetissima 11, 637. acceptissimus 15, 20. praestantissima 15, 130. et Statius in Thebaide (mirum in modum inde a libro septimo): neglectissima 7, 164. confertissima 7, 260. torrentissimus 7, 316. antiquissima 7, 477. delictissimus 8, 99. implacidissime 9, 4. indignissime 11, 304. angustissima 12, 281. Silius nisi quid praetermisi semel tantum scripsit 'ignovissime' 12, 236. item semel Calpurnius 'excelsissima' in ecloga sexta v. 54.

Extant porro multae verborum formae quibus uti amabant epicorum nonnulli, Lucanus plane abstinuit, in primis formae participiales huius modi: imprudentibus Georg. 1,228. subterlabentia 2, 157. interlabentibus Stat. 2, 649. Sil. 6, 18. exultantia Georg. 3, 105. Aen. 5, 137. Sil. 7, 124. 11, 483. 16, 480. exultantibus Ovid. 13, 891. adventantibus Georg. 4, 192. Stat. 4,500. impellentibus Georg. 4, 445. raro tamen occurrunt in Aeneide, ita ut praeter istud 'exultantia' repppererim tantum 5, 204 'procurrentibus'. contra Ovidius Statius Silius ingentem praebent numerum: Ovidius 1, 181. et 6, 584. 2, 645; 1, 345. 643. et 15, 564; 1, 702. 3, 462 et 4, 80. 4, 342. 391. 411. 5, 105. 9, 215. 12, 564. 584. 15, 76. 343. 491. Statius in Thebaide 1, 21. 147. 343. 571. 3, 70. 4, 731. 790. 5, 579. 6, 336. 686. 7, 470. 581. 690. 8, 86. 732. 753. 9, 96. 10, 454. 11, 42. 494. 525. 687. 12, 231. 502 in Achilleide 1, 138. 849. 2, 159. Silius 1, 388. 473. 4, 653. 7, 61. 8, 453. 9, 418. 10, 2. 87. 297 et 14, 603.

11, 217. 428. 12, 489. 13, 355. 359. 436. 563. 16, 20. 294. 426. contra Calpurnius et Valerius raro istas formas admiserunt, ille in ecloga sexta v. 24, hic. 2, 211 'singultantia; tum 'indignantia' Valerius 1, 202. 'despectantia' Calpurnius 7, 24.

Infinitivos porro tales, quum 'circumflectere Aen. 3, 430. internectere Stat. 8, 732 et similia, tum usitatissimos: increbrescere Aen. 8, 14. Georg. 1, 359. Stat. 5, 490. effervescere Ovid. 1, 71. infervescere Sil. 13, 341. evanescere Ov. 2, 117. 13, 887. intabescere 3, 487. 14, 824. occallescere 14, 282. elanguescere Stat. 11, 382. exhorrescere Sil. 10, 107. expallescere 12, 146 et similes Lucanus refutavit, nec non verbi finiti formas tales: circumfundimur Aen. 2, 383. circumfunditur Ov. 4, 360. circumvolvitur Aen. 3, 284. circumvertitur Ov. 15, 522. tum futuri: insectabere Georg. 1, 155. et conferas v. 228. Ovid. 10, 604. Sil. 15, 112. 558. eluctabitur Georg. 2, 241. et conferas Stat. 1, 271. 10, 447. Achill. 2, 44. et quum plusquamperfecti formas et similes praeter exeuntes in creticum non libenter videatur deminuisse contractione [v. supra pag. 11.], ne has quidem voces adhibere voluit: dissimulaverat Stat. 9, 203. inclinaverat 12, 1. et conferas 9, 586. Sil. 7, 583. 8, 292. expugnaverit Stat. 9, 315. exuperaverit Calpurn. 6, 6. et conferas Sil. 8, 327. 10, 630.

Substantiva denique extant non pauca quae ad rem bellicam describendam quamvis aptissima sint, Lucanus tamen remisit, ut 'auxiliaria Ovid. 4, 333. 6, 424. auxiliaribus Ov. 1, 275. propugnacula Aen. 4, 87. 9, 661. Sil. 9, 239. 604. quin vox tempestatis nusquam occurrit tota in Pharsalia.

Adiectiva in '-alis' non minus saepe adhibentur quam illa in '-abilis. conferas: armentalia Stat. 4, 659. autumnalia Ov. 9, 215. coniugialia Ovid. 5, 3. 6, 536. Stat. 12, 158. et conubialia Stat. 5, 112. Achill. 1, 101. exequialia Ov. 14, 430. Stat. 11, 610. exitialia Achill. 2, 58. immortalia Sil. 12, 613. Lucanus tamen istas formas non praebet.

Sed iam desinam, quamvis innumerabiles voces singulas

liceat afferre: genera tantum dedi usitatissima. nom exemplis collatis iam satis dilucide apparebit, quam diversus color Pharsaliae necessario sit a communi more carminum heroicorum et in rei metricae gravitate et in sermone epico. quam diversitatem age nunc capitibus duobus ceteris etiam aliis in rebus demonstrare conabimur.

CAPUT III.

Pars prior.

Poetas Latinos inde a Vergilio magis magisque verborum accentus cum accentu versus concinentes reddere studuisse notissimum est. rationem tamen hanc toto versu sollicite persequi quum et visum sit insuave et nimis difficile, legem sibi posuerunt eam, ut in parte versus priore discrepantiam accentus metrici et naturalis, in parte posteriore et quidem maxime in exitu, i. e. in pedibus duobus ultimis concordiam amborum appeterent. qua in re Lucanum esse ex diligentissimis quum mox sensissem, ita ut versus eius tam leves et tam belle defluentes esse languidiores intellexerim, quaesivi quanam re quibusve causis versus Vergilii Statii Silii Valerii Ovidii videantur evadere multo magis nervosi acres sonori. et sine ullo dubio id efficitur maiore elisionum licentia nec non usu vocum graviorum in sede paenultima: verum tamen non minore momento videtur esse id, quod tamen quantum vidi nemo adhuc satis accurate perscrutatus est, quod ceteri multo saepius quam Lucanus ponere soliti sunt in arsibus a tertia inde verba sententiae ἄτονα, praepositiones scilicet et coniunctiones monosyllabas, porro relativa eiusdem generis. ideo hanc quoque rem ratione exposita demonstrandam putavi ita, ut primum Lucani morem constituam, probem codicum lectionem, refellam coniecturas pravas, tum parte altera ceterorum et consuetudinem et discrepantiam quam brevissime ostendam.

Ac primum quidem ex coniunctionibus primariis, coordinantes quae vocantur: 'et atque (quod a monosyllabis se-

cerni non potest) ac nec; aut vel; sed at; nam' in arsi tertia nullae inveniuntur praeter 'et atque' his locis:

1, 570 auditae nemorum ét | venientes comminus umbrae. 3, 395 procumbunt nemora ét | spoliantur robore silvae. 8, 680 regibus hirta comae ét | generosa fronte decora. 9, 801 informis globus ét | confuso pondere truncus. 4, 335 stagnantem Sicorim ét rapidum deprensus Iberum. 4, 798 impiger ad letum ét fortis virtute coacta. 5, 574 despirare viam ét vetitos convertere cursus. 9, 777 vincula nervorum ét laterum contexta cavumque pectus. et fortasse 7, 571: nox ingens scelerum ét caedes oriuntur et instar | immensae vocis gemitus', ubi tamen codices optimi AB praebent 'nox ingens scelerum est'. loci quattuor priores sunt versus semiquinaria dispertiti item ut sex illi versus supra in capite primo allati [pag. 16.], in quibus eliditur vocalis longa ante 'et' particulam: 1, 197 gentis Juleae ét rapti secreta Quirini. 578 insonuere tubae ét quanto clamore cohortes. 4, 238 mansuevere ferae ét voltus posuere minaces. 471 circumfusa rati ét plenam vix inde cohortem. 706 ense subit presso ét galeae texere pudorem. 5, 733 indulgere morae ét tempus subducere fatis. qua de re ceteris quoque in versibus particulam positam esse in caesura contendam, id quod optime convenit cum sententia, neque aliter tractata est particula 'atque' hoc loco: 'mirantesque virum atque avidi spectare sequuntur' [6, 167], et apparet ea tantum ratione Lucano tolerabile fuisse verbum ἄτονον in arsi tertia. nam loco uno hoc: 'iamque illi magis atque magis durescere pulvis coepit' [9, 942], non dissolvitur sed firmatur lex locutione usitatissima, quae nullo modo aliter quadrat in versum dactylicum. eadem vero diligentia legem illam servasse Ovidium in altera parte demonstrabimus.

In arsi quarta occurrunt coniunctiones illae his locis: 4, 786 membrorumque videt lapsum ét ferientia terram corpora; tum: 4, 206 seque ét sua tradita venum castra videt. 6, 698 Styx ét quos nulla meretur Thessalis Elysios. 6, 202

clarum ét venerabile nomen. 4, 496 magnum ét memorabile fatum. 9, 184 simul ét Garganus et arva Vulturis. 7, 867 nuda átque ignota iaceres. 7, 247 quam néc sua fata timere nec Magni sperare sinunt. 7, 781 quos aút Pharsalia vidit, aut ultrix visura dies. ubique vero est 'et' mera particula copulativa, nusquam aut retracta aut posita pro 'etiam'. 'simul et' vero est locutio usitatissima.

Delectat afferre Calpurnium atque Nemesianum, ut hac quoque in re quantum differant et inter se et a Lucano cognoscamus. in tertia quidem arsi ambo Lucanum non multum licentia superarunt, quum scripserit ille in panegyrico semel tantum (posita tamen coniunctione apud Lucanum ea in sede inaudita) 'mirantur fora; séd | numerosa laude senatus' [v. 66], item in eclogis [5, 79] 'et scillae caput ét | virosa bitumina porta'; hic in vv. 8, 13. et 10, 28 'nunc album caput ét Veneres tepuere sub annis' 'aut gremio fovet aút | resupinis sustinet ulnis'. tum vero in arsi quarta Calpurnius mirum quantum praecurrit imitatori in panegyrico vv. 5: hinc tua me virtus rapit ét miranda per omnes. 97 magna quidem virtus erat ét si sola fuisset. 144 et galea miles caput ét latus ense resolvit. 254 exere. nos humilis domus ét sincera parentum. (ubi prave recepit Baehrensius Lipsii emendationem 'at'; in eclogis 2, 66: rorantesque favos damus ét liquentia mella. 4, 65 ille fuit vates sacer ét qui posset avena. 121 iamque palam presso | magis ét magis instat aratro. 5, 105 gnavaque sedulitas redit ét pastoria virtus. 109 incurvare velis nemus ét constringere frondes. 120 sed iam sera dies cadit ét iam sole fugato. et porro 'et' positum pro 'etiam' invenitur in panegyrico in vv. 28: munera militiae: *licet ét* sine sanguinis haustu. 172 pulsari manibus, *quibus ét* contenditur arcus. 180 et vitare simul, simul ét captare petentem. 194 ut niveus nigros, nunc ét niger adliget albos. in eclogis 4,7 saecula cunctari, *quibus ét* deus ipse canatur. 129 gramina, nullus obest: *licet ét* cantare choreis. 6, 92 et venit ecce Mycon, venit ét vicinus Jollas. tum panegyrici versum 120 Baehrensius restituit ita: 'illi

casta licet, licet ét sine crimine constet vita', quum praebeat codex optimus 'illi casta licet domus ét sine crimine constet vita'. utrum sit verum, hoc loco diiudicare non nostrum est.

Contra in Nemesiani carminibus inveniuntur loci tantum duo: 10, 50 pronus at ille lacu bibit ét crepitantibus haurit. 64 et plantis uvas premit ét de vitibus hastas eqs.

Ceteris in coniunctionibus discrepantia amborum non apparet, quum scripserit ille quidem in panegyrico [v. 186] aut geminare pilam *iuvat aút* revocare cadentem'. et in eclogis: 2, 44 me teneras salices *iuvat aút* oleastra putare 7, 60 vidimus et tauros, quibus aút cervice levata. 3, 33 nunc penes Alcippen manet, ác ne forte vagetur (nisi mavis cum Barthio 'at ne'), hic tamen in numero versuum duabus partibus minore item 8, 25: Pan calamis, fidibus Linus aút Oeagrius Orpheus. 11, 17 quid vultu mentem premis ác spem fronte serenas'; ostendisse tamen nobis videmur miram similitudinem laudatoris et Calpurnii, quippe qui usi sint in versibus allatis admodum paucis ter eadem prorsus ratione ponendi locutionem eandem eadem in sede versus.

Sed iam redeamus ad Lucanum, ut breviter refellamus coniecturas Clercquii ad vv. 2, 163: postibus Antaei aut Libye. 272 lege aevi minima et rerum discordia turbat (posuit particulam copulativam in sede sententiae aut tertia aut quarta) 2, 244 Cappadoces, diri et populus nunc cultor Hamani[1]). stare quidem potest pro lege exposita emendatio Bentleii ad v. 6, 618 'aequoraque et Tempe ét | Rhodopeia saxa loquuntur', vetat tamen recipi auctoritas Lachmanni in commentario Lucretiano [pag. 272 sq.] 'vocales Graecas productas poetae Latini post Plauti aetatem non eliserunt'.

In arsi quarta relinquo Clercquii emendationem ad. v. 2, 209 sq. 'congesta recepit omnia Tyrrhenus simul atque cadavera gurges', praesertim quum Lucanus nusquam usus sit voce 'simul atque', sed bis 'simul' pro coniunctione temporali

[1]) Judaeos putat significari celebrantes memoriam reginae Esther et insidiatoris Haman.

more Ovidii, qua de re mox iterum agemus. vide tamen quae attulimus excursu huic capiti addito de more Lucaniano collocandi coniunctiones et praepositiones. tum vero ne haec quidem in Pharsalia retineri debent, Cortii 'erexitque iubas, vasto et grave murmur hiatu infremuit' Micyllii, et Hortensii aliorumque 'habet et solatia coelum' [9, 870], neque id quod legit Oudendorpius in codice A v. 8, 205 'occurrit natus, procerum et mox turba fidelis'. nam aut retrahitur 'et' istis locis, aut positum est pro 'etiam', quod utrumque hac in arsi Lucanus admittere noluit. et ecce consentiunt loco primo codices AB clare exhibentes 'erexitque iubas et vasto murmur hiatu'. porro quod Oudendorpius dedit 'et' ut inventum in codice A., Steinhartius silentio praetermisit[1]): erravit ergo sine dubio Oudendorpius. in v. 9, 870 denique 'et' mera est coniectura, quum codices praebeant 'hoc' vel 'haec'; Lucanus alibi [2, 13] dixit pro more suo 'et habet mortalia casus'. quae quum ita sint, iure nobis videmur expulisse particulam 'et' etiam ex versu 10, 340, ubi legitur in editione Bentleii: 'poenaque civilis belli et vindicta senatus', praesertim quum neque codices Vossiani neque ullus Weberi defendant particulam. tum vero multo deterius est Lachmanni 'gentis Iuleae, rapti et secreta Quirini' quam 'Iuleae ét | rapti' [v. 1, 197. vide supra pag. 22].

Accedamus nunc ad coniunctiones secundarias, subordinantes quae vocantur: 'quum dum quod si; ut ne; quam' et pronomina relativa monosyllaba, quae omnia saepissime quidem occurrunt in arsibus tertia et quarta, ita tamen ut fere ubique antecedat vox minoris ponderis altera, adverbium scilicet coniunctio pronomen, pertinens plerumque ad sententiam primariam, nunquam vero substantivum adiectivum verbum, nec non ita, ut ubique fere vocibus illis tali modo coniunctis incipiat nova sententia. habes ergo: vel quum 1, 411. aut quum 6, 455. 7, 780. sed quum 10, 317. nam quum 9, 417. sic quum 1, 72. 4, 135. nunc quum 1, 309. tunc quum 1, 275. quam quum 2, 433. quod quum 4, 599. ut quum

[1]) de emendat. Luc. p. 15 sqq.

2, 454. tum: quis quum 2, 290. te quum 1, 45. et 'quae quum' 2, 726: scilicet 'non ea fata ferens, quae tulisti, quum' eqs. — sic dum 4, 437. et dum 2, 159. quam quod 8, 421. nisi quod 2, 418. 9, 622. quid quod 8, 418. an quod 6, 653. et quod 8, 79. et si 9, 594. ac si 4, 317. nec si 1, 63. 8, 160. sed si 6, 615. 9, 931. at si 9, 412. 922. aut si 6, 258. vel si 2, 514. 667. nam si 5, 116. quod si 1, 114. 2, 281. 9, 1068. quid si 1, 307. quam si 1, 304. 2, 445. proh si 3, 73. non si 2, 469. hoc si potes utere coelo 7, 822. mox ut 4, 174. tunc ne 8, 787. vel ne 8, 714. qui ne 6, 327. — 'quam' denique invenitur in arsibus tractatis non nisi antecedente verbo 'plus' 1, 1. 10, 260. — relativa plane eodem modo posuit noster: et quas 1, 42. cf. 173. 490. 2, 451. 640. 3, 205. 4, 64. 243. 482. 5, 403. 741. 6, 124. 7, 856. 8, 195. 227. nec qui 5, 215. sed quod 4, 424. 9, 608. 766. 10, 498. at qui 9, 392. vel quos 5, 271. seu quod 5, 92. nisi qui 2, 97. 3, 366. 4, 442. tunc quos 1, 565. 4, 85. nam quae 5, 256. dum quae 4, 202. tu qui 1, 658. 8, 433. te quem 8, 341. vos, quae 7, 832. quem qui 9, 638. et antecedente praepositione 1, 373. 5, 385. 582. 6, 156. etc. etc. tum 9, 391 'qui me teste pati vel quae tristissima pulchrum Romanumque putant'. verbum vero in thesi antecedente notissima tantum locutione usurpata invenitur: 3, 335 *sit quo* veniatis inermes. 10, 247. *sunt qui* spiramina terris esse putent.

Retractae ab initio sententiae voces illae his tantum locis occurrunt: 10, 214 'quae quum dominus percussit aquarum igne superiecto, tunc Nilus' eqs. 8, 176 hic quum mihi semper in altum surget et instabit summis minor Ursa ceruchis, Bosporon spectamus. 1, 340 mihi si merces erepta laborum est, his saltem eqs. 9, 30 quas ne per litora fusas colligeret rapido victoria Caesaris actu, Corcyrae secreta petit (Cato). 7, 254 haec est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas promissam memini. tum 8, 42 moestior, in mediis quam si Cornelia campis Emathiae stares. et 7, 793 ille locus, vultus ex quo faciesque iacentum agnoscat'. apparet tamen ubique legem esse servatam, excepto tantum uno loco hoc:

'non veritus, *grave né* fessis ac Marte subactis hoc foret imperium' [7, 735 sq.], ita ut constet Lucanum verba minoris ponderis noluisse ponere in sedibus acutis partis posterioris antecedente voce graviore. quam ob causam refellimus coniecturas Clercquii 3, 261 'at Tigris, subito ut tellus absorpsit hiatu. 2, 269 terrae ut succenditur aer. 3, 250 quorum ut iam flexus in austrum', praesertim quum in duobus elisiones quoque duriores admissae sint. item plane displicet Oudendorpii 'Phrygii ut sonus increpat aeris' [9, 288], quod posuit in loco vexatissimo hoc:

9, 283 dixit: et omnes
haud aliter medio revocavit ab aequore puppes,
quam, simul effetas linquunt examina ceras
atque oblita favi non miscent nexibus alas,
sed sibi quaeque volat nec iam degustat amarum
desidiosa thymum: Phrygii sonus increpat aeris.
attonitae posuere fugam studiumque laboris
floriferi repetunt.

ita enim distinguendus est locus difficillimus cum anacolutho apodoseos, quod in Pharsalia non tam insolitum est[1]) ut potius aut cum Nicolao Heinsio scribamus 'increpet' cum ellipsi particulae 'si' apud Lucanum inaudita[2]), aut cum

---

[1]) conferas 7, 214 sqq.:

Miles ut adverso Phoebi radiatus ab icta descendens totos perfudit lumine colles non temere immissus campis — expectatur apodosis, addit tamen Lucanus explicans illud 'non temere immissus' — stetit ordine certo infelix acies: cornus tibi cura eqs., ita ut deficiat plane apodosis, quae inest in v. 235 sq.: Caesar — conspicit in planos hostem descendere campos.

Item sententiae condicionali 8, 222 sqq. 'si vos o Parthi' eqs. prae nimia loquacitate Pompeii periit apodosis, quae adfertur tandem v. 235 'tot meritis obstricta' eqs.

Eadem fere res est in libro decimo v. 210 sqq. ubi bis ponitur sententia secundaria antecedens: hunc ubi eqs. et v. 214 quae quum eqs.; anacolutha leviora porro habes: 2, 577 sq. 3, 46 sq. 6, 114 sq. 8, 366 sq.

[2]) conferas Aen. 1, 572. 6, 31. qui vero in nostro 'si' subintelligunt in v. 4, 213 sq. ad 'non potes', errant. (vide Oudendorpium.)

Bersmanno et Gryphio 'Phrygii sonus ut crepat aeris' aut illud Oudendorpii.

Meliorem ergo lectionem praebet A in versu 2, 308 quoque:

devotum hostiles Decium pressere catervae:
me geminae figant acies.

quum B interposuerit 'ut' post 'Decium' quarta in sede sententiae, id quod magis Valerio convenire in parte altera demonstrabimus.

Restant praepositiones: inveniuntur octies in arsi tertia

2, 375. intonsos rigidam in frontem descendere canos.
4, 230. vestra fides, quod pro causa pugnantibus aequa.
5, 49. imposuit. tunc in reges populosque merentis.
5, 61. permissum. saevum in populos puer accipis ensem.
5, 495. utendum est. non ex aequo divisimus orbem.
8, 219. prisca manent, mihi per Latium iurata Tonantem.
9, 443. novit opes. sic cum toto commercia mundo.
10, 417. dis placitum: non in soceri generique favorem.

et quidem ita ut versus cuncti et semiseptenaria et semiternaria sensu optime servato distribui possint, id quod bene convenit cum natura praepositionis. errat enim Lucianus Muellerus quum doceat[1]) 'secuti plerique Vergilium — hanc tenuere normam ut in tertia arsi monosyllabas et praepositiones et coniunctiones paterentur subsistere', scilicet sequente semiquinaria. certe coniunctiones saepissime ita occurrunt, non solum coordinantes 'et atque aut', sed etiam subordinantes, qua de re conferas:

2, 667. emineant, vel si | convulso vertice Gaurus.
4, 202. exierit, dum quae | gesserunt fortiter iactant.
9, 594. fama bonis, et si | successu nuda remoto.
608. largus aquae, sed quem | serpentum turba tenebat:

verum praepositiones caesura rarissime divelluntur a nominibus, scriptores 'pubescentis artis' si exceperis. nam ex numero versuum ingenti Vergilii et Metamorphoseon Ovidii,

[1]) de re metrica pag. 235 sq.

qui praebent praepositionem positam in arsi tertia, hi tantum metri necessitate semiquinaria dispertiendi sunt: Georg. 2, 402. Aen. 5, 192. 8, 212. Ovid. Metam. 1, 719. 12, 610. tamen ne Lucanus quidem id plane vitasse videtur, quum legatur omnibus in codicibus v. 2, 555 sq.:

te quoque si superi titulis accedere nostris
iusserunt, valet in | torquendo dextera pilo.

codex quidem Wittianus praebet 'valet en'. sed apparet non aptum esse ea in sententia ablativum casum deficiente praepositione, quae tali ratione tantum quadrabat in versum. nam 'torquendo in dextera pilo' non Lucanianum, vix Latinum est.

In arsi quarta Lucanus praepositiones multo etiam magis vitare studuit. quinquies tantum legitur:

1, 472. falsa in praeconia linguas. 474. ruere in certamina turmas. 6, 452. dura in praecordia fluxit. 8, 389. quos in discrimina belli. 7, 542. nam post civilia bella. coalescere vero crediderim talibus in locutionibus praepositionem cum voce recta[1]), ita ut existat vox duobus accentibus praedita, quas item rarissime hac in sede a Lucano esse admissas supra vidimus [pag. 63 sq.] et re vera interdum Lucanum ubi licebat vitasse locutiones tales apparet locis his:

5, 39. Libyae squalentibus arvis Curio-cecidit. 1, 205. sic ut squalentibus arvis aestiferae Libyes — leo subsedit.

Ait enim Bentleius ad locum alterum: 'repone: sic in squalentibus arvis', secutus codices deteriores. contra lectio codicis A lege nostra de collocatione coniunctionum in arsi quarta mirum in modum firmatur, quum praebeat 'sic ut'[2]). quamquam eodem iure defendi potest lectio codicis B 'sic quum', quae tamen est emendatio prioris, ut tertium comparationis quod inest in v. 212. anacolutho sententiae sublato clarius evadat. at vide constructionem: 'sic *quum* leo sub-

[1]) id quod apparet more inscriptionum cf. C J L. I. pag. 610 ind. gramm., et locis talibus: pro materiaque, ex praecipitique.
[2]) de voce 'sicut' cf. Lachm. Lucr. comp. 106.

sedit, *dum* colligit, *mox ubi* stimulavit se erexitque iubas, et infremuit murmur, *tum si* lancea haereat aut venabula pectus subeant — tandem adest apodosis — exit'. retinemus ergo lectionem codicis optimi loco ita distincto:

inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
signa tulit propere, sicut squalentibus arvis
aestiferae Libyes viso leo comminus hoste
subsedit dubius, totam dum colligit iram:
mox ubi eqs.

Locutiones denique tales: 'genus á quo principe nostrum'. 'quae pér iuga longa sedebant', in quibus accentus naturalis plane praecipitatur, inveniuntur non nisi in libris duobus ultimis minime expolitis: 9, 695 aut ín Noton effugit umbram. 9, 838 ius ín sua fila sorores. 10, 337 dant ín nova monstra furorem' et semel arte fortasse nondum adulta in libro primo v. 341 non cúm duce praemia belli', quod et optimis codicibus et scholiis firmatur: 'non me duce' enim mera coniectura est. contra locus hic: 'rogo pér quod fecimus una [10, 370] suspectus est ob correptam finalem *o* et quia codex B plane diversam lectionem exhibet 'per te quod fecimus una', quam quum non intellexissent viri docti Gryphius Bersmannus alii, interposuerunt pravissima et elisione et collocatione copulam 'et': 'per te et quod fecimus una'.

vide id quod diximus supra in pag. 8 sq. et in excursu huic capiti addito. nos locum libri sine dubio corruptissimi doctiori sanandum remittimus.

Transeamus nunc ad arses duas ultimas, in quibus multo etiam cautius tractasse Lucanum verba atona verisimile est. et re vera in arsi quinta nusquam voces istas posuit nisi incisione sententiae antecedente i. e. post caesuram bucolicam quae vocatur.

3, 187. tunc qui Dardaniam tenet Oricon: et vagus altis
dispersus silvis Athamas.

6, 363. labitur avectae pater Isidis: et tuus Oeneu
paene gener crassis oblimat Echinadas undis.

8, 842. imperet hoc nobis utinam scelus: et velit uti
nostro Roma sinu.

Apparet ubique addi comma alterum, qua de re nos secuti exemplum Bentleii (in v. 3, 187.) punctum duplex posuimus etiam in versibus duobus ceteris. editores enim mire variant. eadem res est in vv.:

1, 417. quaerite quos agitat mundi labor: at mihi semper
tu quaecumque moves tam crebros causa meatus-late.

8, 372. (non) aspera conscendet montis iuga: nec per
bella geret tenebras eqs. [opacos

quae quum ita sint, loco hoc:

6, 265. quam mare lassatur, quum se tollentibus euris
frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
montis adest seramque sibi parat unda ruinam.

etsi inter 'ferit' et 'aut' incisionem sensus graviorem constituere non licet, tamen comma alterum sine dubio incipiendum est a verbo 'aut', ita ut sit subiectum verbi 'ferit' non 'unda' sed 'mare', id quod probatur isto 'se tollentibus' scilicet 'tollentibus mare'. nam pro 'ventis surgentibus', ut censet Oudendorpius non potest intelligi.

Coniunctiones secundariae eadem ratione positae sunt et quidem bis tantum:

3, 193. inde lacessitum primum more, duum rudis Argo
miscuit eqs.

8, 194. torsit et in laevum puppim dedit, utque se-
[caret eqs.

qua re apparet, quantum aberraverit a vera manu Lucani Bersmannus, quum prosuerit 'Phrygii sonus út crepat aeris'.

Praepositionum denique una tantum occurrit:

7, 762. vacuumque cubile
regibus infandus miles premit: inque parentum — toris eqs.

item in arsi sexta voces illae poni videntur non nisi antecedente caesura:

4, 587. primaque castra locat cano procul aequore, qúa se
Bagrada lentus agit.

10, 486. nec non et ratibus tentatur regia, quá se

protulit in medios eqs.

6, 700. Persephone nostraeque Hecates pars ultima, pér quam
manibus et mihi sunt commercia.

2, 626. (quum) in nubes abiere Ceraunia, quúmque
spumoso Calaber perfunditur aequore Lason.

10, 493. nec piger ignis erat per stuppea vincula, pérque
manantes cera tabulas.

Ea re Bentleius inductus est in sententiam illam falsam quam exposuit ad versum Pharsaliae 1, 231 'in versu heroico raro admodum fit distinctio plenior pausa vel clausula in pede quinto' eqs: confici tum sextum pedem ex duobus monosyllabis. quae lex quam falsa sit, videbimus in capite quarto.

Semel tamen occurrit in libro nono v. 854: 'nil Africa dé te | nec de te natura queror' quod excusatur fortasse. oratione concitatissima. quod vero legitur in versu 6, 739 'eloquar immenso terrae sub pondere quaé te | contineant Ennaea dapes' nil pertinet ad quaestionem, quum 'quae' sit vox non relativa, sed interrogativa ideoque in sermone pedestri quoque acuta.

Facile igitur iam intelligitur non esse ex more Lucani id quod commendavit Bentleius loco illo libri primi 'vicinumque minax invadit Ariminon: ét iam | cetera lucifero fugiebant astra relicto'. [v. 231 sq.] Vergilii enim consuetudo non est Lucani.

Pars altera.

Ostendimus diligentiam Lucani in re fortasse satis dubia et diximus Ovidii exemplar secutum eum esse eo quod coniunctiones primarias rarissime posuerit in arsi tertia et quidem non nisi sequente caesura: cuius rei haec habes exempla: Metam. 5, 134 singultantem animam ét | versantem lumina vidit 13, 122 inde iubete peti ét | referentem ornate relatis 277 nonus in officio ét | praelatus munere sortis 14, 227 lucibus isse novem ét | terram aspexisse petitam 15, 763 pontifici letum ét | coniurata arma moveri 12, 161 inque vices adita átque | exhausta pericula saepe 4, 302 nympha colit, sed néc | venatibus apta nec arcus eqs.

— tum saepius 'et' positum est ita, ut metri ratione versus possit incidi semiseptenaria: 1, 590. 2, 314. 5, 670. 6, 555. 7, 639. 9, 20. 10, 590. 13, 6. 727. ubique vero sententia postulat semiquinariam. qua de re versus etiam hi ita inciduntur melius: 2, 774 ingemuit multum átque | animo suspiria duxit 7, 633 sperabam tamen átque | animo mea vota fovebam': ita enim restat unus versus tantum 'maior habet. Clyton ét Buten, | Pallante creatos [7, 500], in quo 'et' non est positum in caesura. nusquam porro retractum est 'et' aut positum pro 'etiam'. ceteri vero quam saepe posuerint coniunctiones 'et atque ac aut' in arsi tertia et in caesura et extra caesuram legenti librum quemlibet Vergilii Silii Statii Valerii facile intelligitur. qua de re exempla afferre supervacaneum est. rarius occurrunt coniunctiones 'sed at nec', ideo scilicet, quia omnino rarius inveniuntur in sermone.

Contra in arsi quarta Ovidius plane diversus ab Lucano congruit cum ceteris eaque re ipsa versus eius fit nervosior. conferas: Metam. 1, 26. 67. 87. 352. 622. 774. 2, 48. 191. 737 etc. etc. item ea in arsi ponere 'et' pro 'etiam' nihil dubitavit. conferas: 4, 149. 535. 5, 99. 290. 8, 280. 12, 448. 13, 262.

Retractas porro coniunctiones habes his locis: Aen. 9, 211 sq.:

'sit qui me raptum pugna pretiove redemptum
mandet humo, solita aut si quod fortuna vetabit,
absenti ferat inferias.

12, 772 hic hasta Aeneae stabat, huc impetus illam
detulerat, fixam et lenta radice tenebat.

Sil. 10, 505 inter et arma, virum et lacerata cadavera eqs.
(ita enim sententia est distribuenda.) nusquam apud Statium.
tum in arsi quarta:

Aen. 2, 433: Danaum et, si fata fuissent,
ut caderem, meruisse manu.

4, 124 speluncam Dido dux et Troianus eandem
devenient. et cf. 165.

5, 325 spatia et si plura supersint.

6, 840 ultus avos Troiae templa et temerata Minervae.
1, 369 quibus aut venistis aboris.
4, 317 fuit aut tibi quicquam dulce | meum.
6, 841 quis te magne Cato, tacitum aut te Cosse relinquat.

Stat. 5, 370 incertae iam nec prior impetus alno.
quin Ovidius 13, 139: bona nec sua quisque recuset. apparet congruere posteriores ea in re cum Ovidio et Lucano. unus tamen Valerius mirum in modum vel Vergilium licentia superavit, quum scripserit in arsi tertia:

1, 571 placida et mediis in frontibus haesit 2, 423 refer et domitis a Colchidos oris 3, 12 quas dederat picto et Clite variaverat auro 44 vox et mediis emissa tenebris 4, 314 sic et memori noscere sepulcro (ubi tamen fortasse interpretari licet 'etiam') 543 dedit et socios 5, 151 vos et stabulis eqs. et porro: 2, 303 mora nec terris tibi longa cruentis 6, 197 levis ast abies. et in arsi quarta:

2, 524 stricta et corytus habena. 5, 12 dies simul et suus admonet omnes 252 vox et tua vocibus extet. et porro: 5, 164 imas manus aut Neptunia terras. mirum tamen videtur id quod legitur v. 6, 599: eat atque utinam superetque labores. et perversa est sine dubio emendatio Baehrensii in v. 7,508: 'ingrato queat et nullus succurrere contra', in quam incidit mira usus transpositione versuum, de qua vide apud ipsum in pagina praefationis LV.

Coniunctiones subordinantes in arsibus tractatis eadem ratione qua usus est Lucanus saepissime apud ceteros quoque inveniri facile apparet. extant tamen exempla innumerabilia paene licentiae Lucano plane insolitae, quorum satis habeo afferre haec, ut demonstrem discrepantiam. Aen. 12, 349. qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret: et conferas Georg. 4, 404. Aen. 4, 681. Sil. 9, 118. 10, 112 (iamque suis daret ut pugnae documenta vocantis) 13, 624. Valer. 2, 568. 4, 153. 7, 45. 'ut' porro temporale quod vocatur habes Aen. 6, 385 navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda. Sil. 12, 11 at Libyci ducis ut fulserunt signa per

agros. ib. 606. 17, 402. Valer. 5, 487: suus ut magnum rex spargit ab Argis Alciden'. verum prava est Baehrensii emendatio ad v. 4, 303 bracchia. sentit *at út* Pollux rationis egentem'; multo melius Schenkelius proposuit 'ubi' vel 'uti'.

'ut' comparativum denique saepius ita occurrit in locutione 'viden ut', 'cerne ut' et porro in Silio 15, 84 nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus sustulerit deus; et conferas Aen. 8, 191.

Rarius ponuntur ita coniunctiones aliae; ut Aen. 4, 461 visa viri, nox quúm terras obscura teneret. Sil. 10, 243 accepit leo quum tandem per pectora ferrum; et porro 'mihi quum' Eclog. 8, 8 mea si Aen. 10, 244 tibi quem Aen. 6, 791 mea quem 9, 273 tibi quam 9, 486 tua quem Ovid. Metam. 5, 181 etc. etc. item in arsi quarta: Aen. 3, 25 ramis tegerem ut frondentibus aras 7, 816. 8, 89. 412. 11, 797 Ovid. 6, 499. 13, 192 laudem ut cum sanguine penset. 14, 731 longo facite ut narremur in aevo. Sil. 9, 163. 11, 573. 609: invidia unius sceptra ut iam parta retardet. Valer. 4, 705 saevum ut veniamus ad amnem. et item 'ut' temporale: Aen. 9, 680 inrumpunt aditus Rutuli ut videre patentis cf. Ov. 1, 649 Stat. Theb. 486. 12, 709 iubar ut clarescere — adspexit. Sil. 5, 209 agmina et Hannibalem ruere ut videre cohortes. et porro: tua dum Eclog. 2, 12 tua si Georg. 1, 17. 4, 125 sua ne Ov. 2, 556. 4, 684 Stat. Achill. 1, 719 virginea modo si Lycomedis in aula est'. et similia quae afferre cuncta supervacaneum videtur. in Pharsalia talia frustra quaeres. — accedamus igitur ad praepositiones, quas posuisse Lucanum item ac ceteri in arsi tertia non raro supra vidimus. in arsi quarta vero quantum differat consuetudo Lucani demonstrare facillimum est. et quidem quod attinet praepositiones coniunctas cum hyperdisyllabo, ita ut evadat vox duabus cum syllabis ut videtur acutis, ne longus sim, nonnullos tantum libros afferam. habes in libro Aeneidos secundo locos tales hos: vv. 39. 367. 665. 758 in octavo vv. 51. 415. 491. 528. 642 etc. etc. apud Silium in libro primo vv. 55. 99. 636. 693 in septimo 142.

190. 275. 290. 493. 540 in octavo 35. 51. 66. 122. 149. 600 etc. apud Statium in libro altero vv. 176. 437. 606 in quarto vv. 96. 251. 666. 750 in sexto 373. 704. 717. nec non apud Ovidium: in libro primo vv. 399. 626 in altero vv. 206. 229. 314 in duodecimo 179. 303. 579 apud Calpurnium semel in panegyrico v. 190 in eclogis vv. 5, 43. 47. 7, 65. Nemesianus vero nusquam praepositionem posuit in arsi quarta. Valerius denique praebet locos hos: 1, 173. 2, 235. 3, 475. 5, 331 tum vero in sexto vv. 374. 478. 577. 679. 756 in duobus ultimis 7, 587. 8, 180. 277. apparet plerosque uno in libro saepius usurpasse tales locutiones, quam Lucanum tota Pharsalia, id quod non sine pondere esse potest in colore totius carminis. accedunt porro apud ceteros versus non pauci, in quibus accentu naturali plane neglecto ponuntur haec et similia: Verg. Georg. 2, 234 ín sua posse negabunt ire loca cf. Aen. 2, 543. 3, 371. 5, 279. 10, 412. 12, 129. Sil. 7, 630 Stat. 6, 295. 8, 20. 11, 364 Achill. 2, 116 Valer. 4, 731. 674. 695. 6, 13. 7, 638. nec non: Ovid. 1, 656. 3, 68. 6, 519. et: in Pison. 56 nisi pér tua pondera mentem. tum: Aen. 3, 168 genus á quo principe nostrum. cf. 5, 117 et 121 Sil. 7, 24. 13, 656. 16, 436 Stat. 6, 163. 8, 695 quin Ovid: 4, 152 quique á me morte revelli. et porro: Aen. 6, 411: quae pér iuga longa sedebant 7, 802 ín mare conditur Ufens 8, 85 cúm grege sistit ad aram Sil. 6, 679 et cúm duce bella gerebat Stat. Theb. 3, 484 chaos ín nova semina texens cf. 5, 235. 8, 109 dum pér cava viscera terrae Achill. 1, 564 stetit ín grege durus Achilles. et saepissime Valerius: 1, 372 á Jove fulmen Oileus 3, 538 haec pér loca 4, 421 sua pér freta 5, 471 quem pér freta tanta petendum 4, 647 et pér iuga. et apud Ovidium: 1, 659 nunc dé grege natus habendus 4, 260 et súb Jove nocte dieque 13, 28 sic áb Jove tertius Aiax 8, 165 nunc ád mare versus apertum 10, 172 non pér iuga montis iniqui.

Quin ponitur hyperdissyllabon in thesi quarta elisa ultima Aen. 2, 353 ín media arma ruamus 5, 594 pér maria umida nando. Sil. 16, 387 et ín capita ardua pendens 17, 435

quam pér maria aspera perque eqs. Stat. Theb. 6, 493 ín spatia horrida circi Ovid. 6, 596 venit ád stabula avia tandem.

Apparet epicos quotquot sunt omnes ea in re imitatos esse Vergilium excepto uno Lucano. videamus ergo de arsibus duabus ultimis. Lucanus in quinta thesi vocem graviorem post verbum atonon posuit non nisi antecedente bucolica: contra Vergilius in Aeneide scripsit: 1, 734 adsit laetitiae Bacchus dator ét bona Juno, et cf. 2, 530. 7, 321. 9, 286. 10, 260 Sil. 1, 429 Stat. 4, 773. 9, 205. 563 Valer. 1, 565. 3, 680. 4, 299. 5, 169. 6, 141. 178 Ovid. 5, 152. 12, 607. Calpurn. eclop. 2, 1 puer Astacus ét puer Idas, cf. 6, 1 id quod imitatus est Nemesianus: 9, 1 Idas puer ét puer Alcon. tum *atque* Aen. 1, 254 hominum sator átque deorum 3, 684 7, 473. 10, 2. 743. 11, 183. Ovid. 11, 674 et similia, quae afferre longum est. quin posuit Vergilius 4, 317 'si bene quid de te merui, *fuit aút* tibi quicquam dulce meum' 1, 444 sic nám fore bello. item Valerius 1, 27 hunc nám fore regi eqs. et porro eadem audacitate posuere coniunctiones secundarias: Georg. 2, 458 sua sí bona norint. Aen. 10, 587 proiecto dúm pede laevo. Valer. 1, 336 o sí mihi sanguis 3, 6 sed quém sua noto 6, 305 tibi sí manet oro 402 saevissima quúm legiones. apud ceteros talia non inveni, et apparet Valerium iterum multo magis ea in re appropinquasse Vergilio quam Silium, quem tamen apellare soliti sint 'simiam Vergilii'. nam quod occurrunt loci tales: Sil. 17, 30 quod si qua pudica. Stat. 11, 368 per si quid in illa. Ovid. 10, 483 o si qua patetis 11, 693 vestigia si qua supersint' eos omnino nil moror, quippe 'siquis nequis' una pro voce sint habenda, qua de re etiam Lucanus admisit: 1, 522 tum nequa futuri 8, 423 et nequa vacarent.

Saepissime vero praepositiones collocaverunt omnes in arsi quinta, id quod Lucanus plane vitavit. cf.: Georg. 3, 35 demissaeque áb Iove gentis. Aen. 1, 380 genus áb Iove summo; et 6, 123 Stat. Theb. 8, 63 Ov. 9, 404 Aen. 1, 478 aut pér iuga Cynthi 5, 628 dum pér mare magnum 8, 148

penitus sua súb iuga mittant. Sil. 5, 100 levior laus ín duce dextrae. Stat. Theb. 11, 284 ceu mutus et é grege sanguis. et rursus simillimus Vergilio Valerius: 1, 380 rapit ín freta puppis. 4, 228 nec sonat Oebalius caveae favor ád iuga nota | Taygeti. et porro 4, 741. 6, 408. et Ovidius 4, 555 tetenderat ín maris undas 7, 738 et ín mea pugno | vulnera 10, 664 denique dé tribus unum 12, 480 et ín latus ensem | obliquat.

In arsi sexta Lucanus coniunctiones primarias omnino non admisit. conferas ergo locos Vergilii hos: Eclog. 9, 48 astrum quo segetes gauderent fructibus ét quo | duceret — uva. Georg. 1, 314. 370 et quum 3, 428 et dum. Aen. 5, 713. 11, 170. 429 Sil. 10, 315 Stat. Theb. 2, 186 Valer. 6, 343 Ovid. 2, 763 etc. etc. tum: Georg. 4, 71 canor increpat ét vox auditur. tum id quod Bentleius nostro inculcabat 'ét iam' Aen. 1, 217 Stat. 12, 50 Valer. 5, 71. 427 tum: Aen. 9, 56 huc turbidus átque huc 438 hinc comminus átque hinc. cf. 12, 355 Sil 9, 35. — Georg. 3, 358 néc quum Aen. 11, 164 Stat. 12, 750 Achill. 1. 225. 2, 127 Valer. 6, 25. 163. 537. 8, 270 Ovid. 7, 559. 8, 111. 9, 5. 191. 11, 669. — Georg. 4, 84 dum gravis aút hos eqs. Aen. 10, 9. Sil. 16, 88. Stat. 2, 241 Achill. 1, 504 Valer. 5, 529. — Sil. 17, 380 séd lex. Stat. 1,320. 10, 827. 11, 83 Valer. 8, 73. Ovid. 12, 93 et similia. — Stat. 1, 444 nám vos. Ovid. 9, 790 nám quae. Calpurn. eclog. 2, 99 nám vos etc. etc. tum vero Valerius solita audacitate 8,29 'velatis cornibus ét iam | Luna venit' et 7, 433: 'nec quibus incipiat demens videt, ordine néc quo' eqs. et Vergilius Aen. 5, 733 'non me impia námque | Tartara habent'.

Saepius vero inveniuntur tali modo retractae coniunctiones secundariae: Aen: 4, 224 Tyria Carthagine quí nunc | expectat eqs. Stat. 12, 74 venientia quí nunc | gaudia — acerbas. Valerius 4, 26 improba quó me | nympha rapit. Sil. 8, 492 Sabatia quíque | stagna tenent 17,497 Phaethontia quíque | polluerant tabo stagna. — Stat. 3, 662 sed prima ad classica quúm iam — bibemus. — Aen. 10, 231 perfidus

út nos — Rutulus premebat. Stat. 10, 635 caelestibus út nunc | desiluit gavisa plagis. Sil. 12, 261 obvia ní vis | Gestaris tenuisset telum. Valer. 2, 405 aspera sí te | Plias — tenuisset 7, 30 aurea sí iam | pellis eqs. — clarescant (exempla addere coniunctionum talium positarum in arsi sexta incisione antecedente supervacaneum videtur).

Praepositiones denique omnes fere secuti Vergilium ita collocaverunt: Georg. 3, 484 omniaque ín se. Aen. 9, 189 hoc mihi dé te. Sil. 17, 163 mucronibus ín se. Stat. 11, 708 felicia pér te. Valer. 3, 317 nec gaudia dé te, id quod fecisse Lucanum quoque bis vidimus. Ovidius vero Propertium[1]) imitatus plerumque scripsit ita: 8, 853 et á se 13, 568 et éx re 8, 65 ut ín te 7, 859 et ín me. occurrit tamen 7, 436 tellus Epidauria pér te 13, 678 pró quo.

Ea sunt quae Lucanus longe plurima mirum in modum vitavit, et apparet, etsi ea de causa plane abstinere locutionibus nonnullis coactus non fuerit, quippe quas facillime ponere potuerit in parte versus priore — et posuit saepissime in arsi prima vel secunda — tamen versus eius multum differre a consuetudine epica, quoniam defluant languentes nimia similitudine exitus.

Excursus.

In capite antecedente saepius coniecturas virorum doctorum ob rationes metricas Lucani refutavimus. excursu liceat demonstrare non raro easdem repugnare legibus Lucani syntacticis, qua re optima fides videtur addi inventis nostris.

Ac primum quidem videamus de coniunctionibus relativisque, tum de praepositionibus.

Et relativa saepissime inveniuntur mediis in sententiis, quin verbo regente anteposito: nunquam tamen loco ultimo. ex coniunctionibus vero maiore cum licentia positas saepius invenies nullas nisi 'quum ut ne si', rarius 'dum quod', ceteras paene nusquam. nam quod omnes fere saepissime postponun-

[1]) lib. III, 27, 11 et á qua. IV, 1, 9 et á me. 8, 3 et ín me. 9, 59 et á test. V, 5, 17 et ín me. et contra III, 21, 9 dé te. IV, 15,9 póst te.

tur primae voci sententiae, in poeta licentia appellari vix potest. addo exempla: post vocem primam inveniuntur: nam 5, 240 namque 6, 510 quippe 2, 377. 8, 282 cur 8, 72. 9, 849. 2, 314 (ad iuga cur) quin 6, 438 num 7, 643 quamquam 2, 350. 4, 667; tum vero: at 3, 535 aut 4, 318. 5, 117. 7, 569. 644. 673. 8, 848 nec 3, 288. 4, 257. 8, 49. 303 et fortasse 9, 576 'steriles nec legit arenas', ubi tamen codices praebent 'sterilesne elegit'. ne 'et' quidem maiore licentia tractatum est: 3, 252. 353. 4, 552. 6, 478. 7, 207. 9, 710, et ubique melius interpretabimur 'etiam'. merum 'et' postponitur his locis tantum: 1, 403. 'mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas, finis et Hesperiae promoto limite Varus' 6, 579 'ne Mars alium vagus iret in orbem, Emathis et tellus tam multa caede careret' et 7, 244 ubi legitur 'casuram et fati sensit nutare ruinam', quum codices optimi praebeant: 'casuram fatis'. item scholia[1]) explicant 'ruinam: conflictum scil. omnium rerum', ita ut appareat scriptum fuisse 'fatis', non 'ruinam fati', quod primus dedit Grotius de coniectura. Bentleius proposuit 'cessuram et fatis'. nos locum desperatum doctiori remittimus.

In v. 8, 231 Cortius edidit quidem: 'solusque e numero', commendat tamen adnotatione 'solus et e numero' contra concentum codicum. item bis prave recepit in textum 7, 170 mersos et nocte furores 8, 270 plenis et reddere fastis' Vergilii morem Lucano imputans. nam in v. 8, 773 'forte volet, plenos et reddere mortis honores' luce clarius metri necessitate Lucanus coactus est. tamen duobus locis audaciorem eum fuisse negari vix potest, quum scripsisse videatur: 6, 217 'ille moras ferri, nervorum et vincula rupit'. et 1, 223 sq.: 'Caesar ut adversam superato gurgite ripam attigit, Hesperiae vetitis et constitis arvis'. loco priore expectabam 'ille moras ferri et | nervorum vincula rupit' non tamen audeo codicibus neglectis ita versum restituere. loco altero fortasse melius distinguemus sententiam ita 'Caesar ut adversam — ripam attigit Hesperiae, vetitis eqs'. praesertim quum commenta

[1]) ap. Web. III p. 531. Useneri nil praebent.

Bernensia laudarint tantum verba haec 'vetitis et constitit arvis'. sed utut res se habet, iam apparet, quantum absint a consuetudine Lucani emendationes istae: 1, 197 rapti et secreta Quirini 1, 209 vasto et grave murmur hiatu 2, 244 diri et populus 8, 205 procerum et mox turba 2, 272 lege aevi minima et rerum discordia 2, 164 postibus Antaei aut Libye: tum vero haec 2, 86 ingenti superum protectus at ira', id quod posuit Grotius pro vulgata 'ab ira'.

Plures post voces ponuntur saepius coniunctiones secundariae, in primis: quum 1, 537 sq. 540. 2, 237. 3, 287. 663 sq. 7, 153. 317. 8, 14 sq. 200. 864. 9, 303 sq. ut 2, 296. 492. 4, 765. 793 sq. 5, 206 sqq. 703 sq. al; comparativum: 8, 487 sq. si 2, 665. 5, 23 sq. 6, 242. 7, 378. 8, 767. 10, 25. 361 al. quod 2, 537. 551. 570. 659. 5, 111 sq. dum 5, 246 sq. 6, 88 quam 5, 371. 9, 826 postquam 5, 497 sq. 7, 786 sq. semel 'quamvis 3, 181 quoties 8, 408 nempe 4, 806. et coordinantes: ceu 5, 100 sed 4, 403 an 8, 523: ubique tamen verbum regens sequitur coniunctionem; iam vero antecedente verbo occurrunt: quum 1, 612. 2, 715. 5, 79. 270. 751. 6, 411. dum 3, 703. 4, 312. 435. 5, 774 ut 2, 6. 4, 214 ne 5, 398. 7, 328 si 4, 532. 6, 302. 10, 448 et ex coordinantibus unum 'sed' 3, 734. ubique aut incipit sententia verbo regente, aut coniunctio arcte cohaeret cum verbo, duobus locis exceptis 4, 531 sq. 'tentavere prius suspenso vincere bello | foederibus, fieret captis si dulcior ipsa | mortis vita mora'. et 6, 302 sq. vicisset in illo | si tibi Sulla loco. contra id quod posuerunt Bentleius et Cortius in v. 5, 398 'iuris inops: careat tantum ne nomine tempus' minus placet lectione Oudendorpii 'tantum careat', quae firmatur codicibus Weberi quoque, qui solent congruere cum Vossianis. et amat Lucanus ponere particulam 'tantum' in principio sententiae. cf. 3, 449. 4, 173. 763. 5, 323. 6, 811. 7, 367. 9, 95. 426.

Restant voces encliticae: -que, -ve, -ne; ubique adduntur voci primae, ita ut bis tantum inveniatur 1, 336: post Cilicasne vagos' et 10, 353 'in seque', levissima ut apparet licentia. absit ergo Bentleii coniectuar ad v. 1, 647. 'segetes tellusne

infida negabit?' et Clercquii ad v. 6, 351 'emicuit, prima Rhoeteaque litora pinu | quae tetigit' pro vulgata 'eminet, et prima Rhoeteia eqs.

Praepositionum usus item liberior appellari non potest; quum rarissime et divellantur a nomine recto et postponantur. nam nil moror quod praepositio cum adiectivo vel genetivo saepius vocibus nonnullis interpositis anteponitur substantivo, id quod omnibus est usitatissimum. contra praepositionem solam divulsit a nomine recto nusquam nisi hoc uno loco: 'sic Padus plenus ore tumens super aggere tutas | excurrit ripas'. [6, 272][1]) qua de re id quod legitur in codice B 10, 370 'per te quod fecimus una' Lucano aptum non videtur.

Nusquam porro praepositiones ponuntur inter adiectivum et substantivum ita, ut intercedat inter praepositionem et substantivum vox sententiae altera, ut in illo 'torquendo in dextera pilo', exceptis scilicet locis talibus 'gelidas ad Phasidos undas' [2, 585]. contra nomini postponi solent 'inter, super, supra, circum, contra, iuxta, propter' cf. 4, 159. 8, 475. 563. 9, 125. 355 etc. et porro 7, 558 agmina circum | it vagus 8, 318 quantus Maeotida supra 9, 6 terras inter lunaeque meatus 4, 310 exprimit ora super 2, 386 membra super. eaedem igitur etiam post adiectiva collocantur: 4, 14 Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes. 779 vix impune suos inter convertitur enses. et cf. 6,792. 1, 397 Vogesi curvam super ardua rupem. recte ergo scripsimus in v. 5, 595. 'fragilemque super volitantia malum', scilicet volitantia super fragilem malum. et bene se habet in v. 2, 120 sq. lectio: 'innumeras inter carpentis membra coronae discessisse manus' scilicet: 'discessisse inter innumeras manus coronae carpentis membra'. nam pessime scripsere Sulpicius Ascensius alii 'intercarpentis' Bentleii 'disperiisse' in capite primo refutavimus. 'discessisse'

[1]) conferas contra Aen. 2, 278. 4, 233. 2, 142. 4, 314. 5, 609. 9, 104 1, 24. 6, 17 etc.

vero defendunt et commenta Bernensia[1]) (ad v. 119) et scholia Vossiani primi[2]), quamvis pravissime affirment': 'intercarpentis' una pars orationis est'.

Nusquam vero Lucanus inter nomina recta et praepositiones tali ratione postpositas collocavit etiam alias voces, id quod fecit Vergilius[3]) exceptis duobus locis his: 2, 201 'densi vix agmina vulgi | inter et exangues immissa morte catervas' et 2, 675 'incessitque fretum rapidi super Hellesponti'. cum loco priore confero Aen. 7, 441 sq. 'arma regum inter'. apud Lucanum tamen licentia videtur excusari altero membro addito, ita ut sit posita praepositio communis inter partes sententiae duas. loco altero Bentleius proposuit 'incessitque pedes rapidum super Hellespontum'; defenditur tamen vulgata lectio usu Lucani non tam raro ponendi praepositionem inter nomen antecedens et genetivum sequentem: 1, 690 patriae sedes remeamus in urbis 5, 19 quamque procul tectis captae sedeamus ab urbis 23 plaustrum glaciale sub ursae 10, 280 longi populos pervenit ad aevi 409 iugulumque in Caesaris ire 449 Thessalici nuper qui rupe sub Haemi. prorsus vero absit e Pharsalia: 9, 605 sq. plaga quam nullam superi mortalibus ultra | a medio fecere die', quamvis praebeat 'quam' codex A atque receperint Oudendorpius et Cortius. rectissime Bentleius adnotatione reponi iubet 'qua' codicis B aliorumque, id quod firmatur mira explicatione scholiastae Bernensis[4]) 'iam plaga calcatur *qua* nullam diem superi mortalibus concesserunt'. verum vidit Bentleius: 'ultra: id est ulteriorem' vitavit nempe Lucanus foedissimum 'ulteriorem quam quam' eqs.

Nusquam porro praepositio duas post voces copulative coniunctas ponitur, sed aut anteponitur aut interponitur, ante coniunctionem tamen (9, 6 'terras inter lunaeque meatus' et similia): in membro altero praepositionem e priore retractam

[1]) Usener pag. 56.
[2]) Weber III. pag. 122 sq.
[3]) Aen. 5, 250. 370. 6, 451 sq. 10, 490. 11, 816. 12, 279. et praesertim 11, 149 sq. 509.
[4]) Usener pag. 306.

collocavit Lucanus semel v. 1, 482 sq. 'hunc inter Rhenum populos Alpesque iacentes finibus Arctois patriaque *a* sede revulsos pone sequi'. sed vidimus supra in capite primo [pag. 12.] saepissime omisisse nostrum praepositionem talibus in locutionibus. multum ergo interest inter locum istum et Vergilii Aen. 5, 512 illa notos atque atra volans in nubila fugit. 6, 692 quas ego te terras et quanta per aequora vectum accipio. et cf. 7, 296.

Sed haec hactenus. apparet diligentiam Lucani in re metrica eandem inveniri in compositione verborum, id quod alio loco accuratius expondituros nos esse speramus.

CAPUT IV.

Pars prior.

Constat poetas Latinos magis magisque studuisse incisiones sententiae et versus reddere congruentes: qua in re Lucanum fuisse ex diligentissimis iam mirum non videbitur: subsistit atque incipit ergo oratio in Pharsalia octo tantum in sedibus versus: in caesura semiquinaria semiseptenaria semiternaria, tum in caesura bucolica quae vocatur et in trochaica pedis quinti, deinde in incisione ante pedem secundum et sextum, rarissime denique post trochaeum primum. aliis in sedibus nova sententia non incipit, ne secundaria quidem.

Istarum tamen incisionum quae accuratius tractentur dignae sunt tantum caesura post pedem quintum vel ante pedem sextum et bucolica. Bentleius enim ad v. 1, 231 contendit illa incisione facta poetas confecisse sextum pedem ex duobus monosyllabis: addit exempla. verum tamen iam diu demonstraverunt viri docti, id quod eruditis minime dubium erit, ne in Pharsalia quidem veram esse eam legem. Bentleius vero ipsa ea lege coactus est mirum in modum interpretari locum hunc: 6, 812 'tu fatum ne quaere tuum cognoscere: Parcae | me reticente dabunt'. iubet enim distin-

gui sententiam ante verbum 'cognoscere', quoniam ante 'Parcae' interpungere non licitum sit; nemo tamen non videt optime cohaerere 'cognoscere fatum': contra quis intelliget 'ne quaere fatum tuum'?

In sede bucolicae saepissime Lucanus sententiam novam incipit ubique fere servata lege ea, ut sit pes quartus dactylicus. cf. 1, 100. 103. 202. 348. 417. 460. 523. 547. 548 etc. locis vero his: 7, 132 et quāerī, Roma quid esset | illo Marte palamst. 8, 85 quod dĕflēs, illud amasti' nos quidem distinguere solemus sententias, homo tamen Latinus sine dubio accepit ut unam primariam et secundariam, id quod probatur mira collocatione verborum tali: 1, 14 'hoc quem civiles hauserunt sanguine dextrae' 5, 387 qua sibi ne ferri ius ullum Caesar abesset | Ausonias voluit' eqs. eadem res est hoc loco: 6, 606 'pronum erat o iuvenis quos vĕllēs, inquit, in actus' eqs. qua de re Ovidius particulam copulativam solet ponere tali ratione: 'quid' que 'tibi lascive puer cum fortibus armis'? dixerat. [Metam. 1, 456 sq.] 'quo' que 'magis doleas' — ait. [1, 756] et alibi. solent praeterea poni virgulae distinctionis saepissime ante et post locutiones participiales: 3, 90 mĭraturque suae, sic fātūs, moenia Romae 7, 38 lacerāssēt, crine soluto' et similia; ubique melius eicitur signum.

Restat denique locus unus difficilior: v. 1, 72 sq.

sic, quum compage soluta
saecula tot mundi suprema coegerit hora,
antiquum repetens iterum chaos; omnia mixtis
sidera sideribus concŭrrēnt. | ignea pontum
astra petent: tellus extendere litora nolet,
excutietque fretum.

ita legitur in editione Bentleii. Cortius posuit ex coniectura Rutgersii antiquum repetent iterum chaos omnia; mixtis' eqs. Steinhartius vero ad vocem 'repetens' editionis illius nil adnotavit: legit ergo in codicibus Vossianis duobus ‚repetens', id quod confirmant etiam codices Weberi. scholia nihil docent. apparet tamen optime dici 'hora suprema antiquum repetens chaos', nam chao redeunte dissolvitur tempus.

tum vero valet dubitatio Bentleii, num habeat sensum tolerabilem 'omnia mixtis sidera sideribus concurrent', quam Cortius cum suis lectione 'repetent omnia' iam sublatam existimaverunt. eicimus ergo cum viro sagacissimo emblema hoc, quoniam demptum est ex verbis Senecae a Bentleio allatis 'quum tempus advenerit quo se mundus renovatus extinguat, viribus ipsa se suis caedent et *sidera sideribus incurrent*'. apparet verba illa adscripta ad sequentia 'ignea pontum astra petent' postea in formam metricam redacta atque in textum recepta esse. restituimus igitur versum pro lege inventa ita: 'antiquum repetens iterum chaos: | ignea pontum'.

Iam vero demonstrabimus Lucanum re vera nulla alia in sede versus admisisse incisionem sententiae. mirum enim videbitur caesuris trochaicis eum plane abstinuisse. ceteros admodum saepe usos esse caesura post trochaeum tertium exemplis demonstrare necessarium non est. sunt tamen qui legi metricae satis fecisse se putent, quum posuerint vocem iambicam post incisionem sententiae in pede tertio, ita ut evadat caesura semiseptenaria, id quod fecisse Lucanus quoque fortasse videbiturin versibus his: 1, 553 subsedit veteremque, iugis nutantibus, Alpes discussere nivem 8, 81 sola sequi. deformis, adhuc vivente marito, summus — dolor 5, 437 quum, glacie retinente, fretum non impulit Ister. facile vero quisque intelliget quantum intersit inter locos illos et versus Calpurnii hos: paneg. 22 'contigerit memorare. manus sed bellica patrum' (quamquam Baehrensius scripsit 'contigerit memorare patrum. sed bellica fama'). 155 sq.: 'qui tempora certis | ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt | miles erit'. et cf. eclog. 4, 6. 60. 6, 28. qua de re Clercquii emendatio ad. v. 2, 544 'o rabies miseranda! piis quum facta Camillis' vix digna est quae notetur.

Caesura post trochaeum alterum quam saepe adhibeatur a Vergilio notissimum est [1]). Lucanus bis tantum posuit: 2, 500 haec ubi dicta, levis totas accepit habenas. 9, 109 sic ubi fata, caput ferali obduxit amictu: nam in v. 719 sq. 'haec ubi fata caput spumantiaque ora levavit, adspicit adstantem — umbram' melius interpretabimur 'fata' pro participio, ita ut incisio sententiae prave constituatur ab editoribus virgulam distinctionis post 'fata' ponentibus, id quod solent facere his quoque locis: 1, 78 sq. (Phoebe) obliquum bigas agitare per orbem | indignata, diem poscet sibi. 1, 17 et qua bruma, rigens ac nescia vere remitti. 1, 49 telluremque, nihil mutato sole timentem. 2, 462 gens Etrusca, fuga trepidi nudata Libonis.

1) Aen. 2, 505. 3, 618. 6, 163. 336. 7, 268. 9, 235. haec ubi dicta 1. 81. 5, 32. 315. 8, 175 etc. etc.

Eadem plane res est in caesura post trochaeum quartum, quam Ovidius [1]) mirum quantum amat. in Pharsalia forte statuet aliquis his locis: 3, 24 haereat illa tuis per bella, per aequora signis. 7, 838 saepe super vultus victoris et impia signa (cf. 10, 475) 6, 180 ut primum, cumulo crescente, cadavera murum | aequavere eqs. melius signum interpunctionis ubique tollitur.

Restant porro duo tantum loci versus in quibus saepius solent incidere orationem poetae: post pedem secundum et tertium i. e. circa incisiones metricas primarias, semiquinariam et semiseptenariam, et quidem primum ita facere solent, ut exeat sententia pede secundo vel tertio, in arsi tertia vel quarta incipiat sententia altera verbo monosyllabo, qua re efficitur caesura semiquinaria vel semiseptenaria. exempla addimus in parte altera. Lucanus more eo non usus est nisi in particula 'et', qua de re conferas exempla in capite primo et tertio allata [2]), saepius in arsi tertia, in quarta semel ut videtur loco hoc: 4, 786: membrorumque videt lapsum et | ferientia terram corpora.

Tum apud ceteros non multo rarius inciditur sententia ante verbum hypermonosyllabon, Lucanus semel tantum scripsit in v. 2, 54 'hinc Dacus premat, inde Getes', et eam ipsam

1) Metam. 1, 342. 658. 2, 7. 619. 726. 7, 566. 738. 8, 2. 148. 561. 575. 780. 10, 651 etc.

2) pagg. 16. 49.

ob causam malo distinguere ita: 'hinc Dacus, premat inde Getes'. nam quod editores nonnulli dederunt 2, 109 sed satis est iam, posse mori. 9, 684 aliger in coelum sic, rapta Gorgone, fugit', pravam interpretationem prae se fert.

Saepissime quidem occurrunt istis in arsibus coniunctiones secundariae, ubique tamen antecedente monosyllabo sententiis primariae et secundariae communi, qua de re conferas id quod ostendimus in capite tertio de collocatione coniunctionum in arsi tertia vel quarta, et apparebit utrumque morem Lucani arcte inter se cohaerere.

Pars altera.

Nusquam ergo Lucanus incidit sententiam post pedem alterum et tertium; iam videamus quantum in ea re differat a ceteris. ac primum quidem incisione facta post pedem alterum in arsi tertia solent ponere monosyllabon, scilicet coniunctionem interiectionem pronomen, ita ut efficiatur caesura semiquinaria; eandemque rationem saepissime secuti sunt in semiseptenaria constituenda. cuius rei afferam exempla: Aen. 1, 194 hinc portum petit | et socios partitur in omnis 82 impulit in latus | ac venti velut agmine facto 116 volvitur in caput, | ast illam ter fluctus ibidem. et porro 2, 528 porticibus longis fugit | et vacua atria lustrat 558 avolsumque umeris caput | et sine nomine corpus 691 da deinde augurium pater | atque haec omina firma. et sic inveniuntur locis innumerabilibus Vergilii Silii Statii Valerii[1]) coniunctiones primariae, nec non copulatae cum voce antecedente tali modo: Aen. 2, 780 longa tibi exilia | et vastum maris aequor arandum 3, 287 postibus adversis figo | et rem carmine signo. Ovidium quoque ea in re ceteros secutum esse in capite tertio ostendimus. rarius inciditur sententia

[1]) *et:* Aen. 7, 430. Sil. 1, 521. Stat. Theb. 2, 317. Valer. 2, 60. Aen. 7, 370. Sil. 3, 364. Stat. 1, 79. Valer. 1, 674. *atque.* Aen. 10, 741. Sil. 4, 34. Stat. 5, 693. Valer. 4, 593. Aen. 11, 734. Sil. 1, 323. Stat. 6, 206. Valer. 7, 275. *at* Aen. 7, 297. Sil. 2, 380. Valer. 7, 86 etc. etc. Ovid: 2, 183 5, 166 6, 617 (aut) 701 (sed) 7, 582 (an) 8, 340 829 10, 194 etc. etc.

ante coniunctiones secundarias, apud Vergilium ni fallor semel tantum in ecloga nona v. 3 quod nunquam veriti sumus | ut possessor agelli eqs; saepius apud ceteros: Stat. Theb. 2, 553 collucere iter, | ut clausas indagine profert eqs. 12, 363 accessit sonus, | utque atra sub veste comisque eqs. 9, 791 profero: quisnam adeo puer, | ut bellare recuset. Sil. 10, 83 at coniunx Iovis, | ut Paullum depellere dictis nequiquam fuit eqs. 8, 342 ne pugnas mora, | dum vagina ducitur ensis 15, 552 magnum aliquid tibi, | si patriae vis addere fatis, audendumst. 4, 337 paullatim nudat rictu, | ut praesentia mandens corpora. et cf. 5, 217. 7, 519. 8, 4. 12, 516. Valer. 2, 609 cum gemitu tulit, | ut patrii rediere dolores. et cf. 4, 684. Ovid. 7, 729 continui male, | quin ut oportuit oscula ferrem 13, 289 ambitiosa suo fuit, | ut caelestia dona eqs. 15, 660 perspice et usque nota visu, | ut dignoscere possis. — tum particulae monosyllabae aliae quoque ita occurrunt: Aen. 1, 96 contigit oppetere! | o Danaum fortissime gentis eqs. cf. v. 229. Georg. 4, 495 quis tantus furor? en | iterum eqs. Aen. 4, 508 effigiemque toro locat; | haut ignara futuri. et cf. 5, 290 823. Sil. 1, 116 6, 600 etc. et pronomina: Aen. 1, 52 Aeoliam venit. | hic vasto rex Aeolus antro. cf. 168. 477. 2, 29. 30. 4, 172. 242. 5, 73. 7, 151. 8, 357. etc. etc. Stat. Theb. 4, 733. 7, 713. Achill. 1, 404. Sil. 5, 542. 2, 204 spectandum caput. | id gestent ante agmina Poenum etc. Valer. 2, 96. 133. 5. 514. et relativa Aen. 10, 210 exterrens freta; | cui laterum tenus hispida nanti. Stat. Theb. 4, 22. quin Ovidius scripsit: 8, 842 virginitatis habes, ait. | haec Neptunus habebat. et 7, 509 ducite et omnia, | quae rerum status iste mearum. haec omnia et similia Lucanus nusquam adhibuit. — tum vero sententia haud raro inciditur ante disyllaba et hyperdisyllaba, et quidem post pedem secundum ita, ut efficiatur vocibus sequentibus caesura semiseptenaria aut hac ratione 'arma amens fremit, | arma toro | tectisque requirit' [Aen. 7, 460] aut hac: 'misceri putet, | aeriam | sed gurgite ab alto' [ib. 704] et saepissime ita occurrunt in pede tertio particulae disyllabae, ut 'ergo' Aen. 9, 575. Georg. 3, 100 'ecce' Valer.

2, 478 'unde' Aen. 6, 754 et pronomina: 'ipse' Georg. 4. 354. Stat. Theb. 1, 449. 10, 121 et similia. quartus pes et maior pars quinti tunc solent expleri voce tali 'Oceanitides' [Georg. 4, 341] adgnovitque [Aen. 6,452] cf. Aen. 5, 290. 579. 7, 618. 9, 328. Stat. Theb. 1, 299. 509. 2, 199. 229. 531 etc. Sil. 2, 111. 256. 320. 388. 519 etc. quin Ovidius, qui non amat incisionem istam, tamen quum voces tales in exitu versus saepissime adhibuerit, scripsit: inde genus durum sumus | experiensque laborum [1, 414]. Oenopiam Minos petit, | Aeacideia regna [7, 472] indiciine metu magis, | offensave repulsae [15, 503]. contra Valerio caesura ista ita placuit, ut fere ubique ante voces illas apud eum admodum raro occurrentes liceat eam statuere. cf. 1, 77. 147. 2, 510. 4, 304. 561. 708. 5, 389. 6, 185. 607. 651. 8, 232.

Tum vero eam ob causam quod Lucanus nusquam incidit orationem post pedem alterum et tertium, et quod quantum potuit vitavit in exitu versus voces per pedes duos pertinentes, nusquam invenitur in Pharsalia caesura quae vocatur inter vocales conliquescentes, id quod apparet versibus istis: rumpere compagem impositam, | expallescere caelum [Sil. 12, 146.] portat ovans, ducis exemplum eventumque secuti [Aen. 11, 758]. contra versus illa cum caesura saepissime occurrunt in Silio, qua de re conferas Lachmannum in commentario Lucretiano pag. 413.

Haec habui quae dicerem de arte metrica Lucani. vidimus neminem ex epicis ceteris plane congruere cum nostro: omnes enim — et quidem Ovidium quoque — praeterit diligentia. facile ergo intelligitur Weberum sententiam suam non tulisse quaestione accurate instituta, sed ductum vaga opinione. speramus vero nihil nos praetermisisse quod alicuius momenti sit in iudicanda arte metrica: confitemur igitur versus Lucani nobis videri carmine heroico minime dignos, sed multo magis eclogis elegisve, et existimamus carmen Pharsaliae fastigium illius laevitatis in versu faciendo inde

ab Ovidio magis magisque excultae, quae quomodo paullatim adoleverit in consuetudinem Lucani facile ostendi potest carminibus Vergilianorum Grattii Rabirii (de bello Aepyptiaco) Homeri Latini. eum enim proxime praecedere Lucano breviter demonstrare liceat, quum adhuc de aetate eius viri docti dubitaverint.

Praetermitto quod posuit bis: 'tradidérunt. abdidérunt' [648 707] et temel: 'illīus' [480], sed momenti summi sunt loci hi: v. 231 ornabatque latus mucrō 296 coniungit; stridet mucrō mucrone corusco 305 et 963 dissiluit mucrō 500 ut Libycus quum forte leō procul agmina vidit; nusquam contra corripitur *o* finalis, qua re apparet fuisse eum ante Lucanum, quippe qui in substantivis finalem illam ubique fere usurpaverit pro brevi[1]).

Iam vero in elisionibus similitudo mira apparet, quum Homerus plane eadem ratione qua Lucanus usus eliserit vocales longas saepissime quidem in arsi secunda: vv. 10. 141. 306. 441. 522. 667. 780. 800. 828. 838. 947. 974. 1015, rarius in arsi tertia: v. 595 non sic saetigeri exacuunt fervoribus iras 642 aut animam praedae aut dictis accommodat aures (Lucanus elidebat non nisi sequente *et*), rarissime in arsi quarta: v. 124 vigila et mandata Tonantis; tum in thesibus tantum prima et quarta item ac Lucanus: vv. 587 ergo ubi 643 ultro etiam 733 praeda humeros onerant, et vv. 156 animos aptari et corpora pugnae 557 temptanti Aetolius heros 962 nam duro inflectitur auro. porro item ac in Pharsalia rarissime copulatur vocalis firma cum brevi: vv. 493 deficiunt Graiorum acies 123 curarum operumque levator; nusquam nisi in thesi quinta colliduntur vocales in brevi altera dactyli: vv. 63. 101. 150. 327. 818. 1058 et 599 'fulgura et ignes', qua de lectione supra egimus [pag 26]. contra aliis in sedibus invenitur 'nec eundem, nec erat' [vv. 873. 889]. 'vertere iter' vero in initio versus 139 et 'atque ita fatur' in exitu versus 113, quod utrumque Luca-

---

[1]) cf. Lachmann. Opusc. II 161. Iwein[4] p. 517 Anm.

nus vitavit, in carmine dictis Vergilianis referto mira non videntur. monosyllaba denique eliduntur ter, in vv. 38 aut si qua ut 294 tum adversus uterque 966 nec sufferre valet iam ultra. loco ultimo vero interposuit Muellerus ex coniectura, loco primo melius scribitur 'siqua'. contra nusquam occurrunt elisa: 'me te' et similia.

In formando exitu versus eadem apparet similitudo. verba pyrrhichiaca in thesi quinta ponuntur non nisi antecedente bucolica vv. 407. 492. 612. 976 exceptis tamen locis his: v. 87 pro nato venio genetrix en ad tua supplex | numina 273 nam nec mihi coniunx 1021 quem nec sua coniunx' et praesertim: 986: moveát tua Peleus', id quod in Pharsalia plane est inauditum. locis his quoque: vv. 84. 244. 295. 651 incisio sensus non tam gravis videtur quam solet esse in Pharsalia tunc quum additur in pede quinto comma alterum particula 'et'.

Ter tantum porro invenitur exitus ille: lis Ignipotente resedit [107] quam devitavit Atrides [290] mox alias acies petit aurigamque superbi [673] in versu quoque fere tricentesimo quinquagesimo, id quod mirum in modum convenit cum more Lucani. semel tantum occurrit exitus talis: 'gladio petit Iphidamanta', in carmine nominibus Graecis referto. [v. 750].

Ex atonis in arsi tertia posita sunt: et v. 625. 660. 969 aut 642 nec 1037; tum more a Lucano diverso bis 'si néc precibus vv. 984. 1034; in quarta v. 124 'vigila ét mandata Tonantis'. et v. 763 inrumpunt aditu Phryges átque in limine primo eqs. 734 quos néc praecederet eurus. tum saepius 'simul et' vv. 248. 454; tum coniunctiones secundariae: et ni v. 75 quod ni v. 308 quod si v. 716 et item relativa vv. 129. 573. 931 ubique atono altero antecedente praeter unum locum hunc: 'sua quem Venus eripit hosti' [315].

Praepositiones in arsi tertia occurrunt nusquam nisi in v. 795 'confugiunt iterum ad classes Agamemnonis alae'. contra saepius in quarta in vv. 11. 262. 481. 576. 664. 702. ubique sequente hyperdisyllabo. semel tantum positum est

'gressum ín sua castra referret' in v. 710. in arsi quinta atona more Lucaniano bucolica antecedente inveniuntur: et in vv. 84. 244. 295. 651 atque in v. 113 sed in v. 523 at in v. 611 et relativa aucta bis particula enclitica 'que' in vv. 100. 603. facillime vero excusatur 'atque' quater ita positum 'Polypoetes átque Leonteus. Polyxénus átque Diores. Podalirius átque Machaon. et Asius átque Pylaeus' in vv. 182. 213. 218. 240. durior videtur locus ille tantum 'venio genetrix en ád tua supplex numina' in v. 88 — in arsi sexta occurrunt 'laetabere coniuge, quám te | mox rapuisse gemes [v. 285] 'sic diligor á te [v. 103], quod utrumque Lucanus quoque ausus est.

Ex caesuris Lucanianae tantum saepius admissae sunt eadem ratione ac in Pharsalia, nusquam elisionibus gravioribus inquinatae. bucolica tamen semel videtur adhibita post pedem spondaicum in v. 85 'abstineat dextram congressuque: inde per auras eqs. tum occurrunt trochaicae in pede tertio quater, in vv. 213 et clara virtute | Polyxenus atque Diores 240 Amphiosque Adrastus | et Asius atque Pylaeus 445 inde premit Polyidon | Abantaque cuspide forti', qui loci omnes facillime excusantur; tum vero in v. 991 'si sineret natura, meis absumere malis'. et in pede altero in v. 556 'quis sit et unde, férox eqs' nusquam in pede quarto. tum in versu 789 legitur: (quem sternit atrocis) Penelei dextra: | índe cadit Priameia pubes' cum caesura post pedem alterum inter vocales colliquescentes.

Apparet Homerum Latinum paullulo audaciorem fuisse quam Lucanum; tamen similitudo amborum in arte metrica tanta est, ut sine dubio eidem aetati sint adscribendi, scilicet aetati domus Iuliae. nam Lucano etiam vigente Persius et Petronius insectari coeperunt mollem istum versus faciendi morem, ille perstringens versus hibridas vocibus graecanicis repletos[1]), qui tamen praebent artis metricae eundem colorem, quem Lucaniani, hic petens ipsum Lucanum: nam, Petronium

[1]) in satira I vv. 93—95; 99—102.

non solum vituperasse rationem Pharsaliae historicam [1]) existimo, sed etiam metricam. nam versus belli civilis sunt Vergiliani, non Lucaniani, id quod facile intelligitur legenti hos: v. 86 luxuriam spoliorum | et censum in damna furentem. 30 quae sensum trăhăt. | hoc sterile ác male nobile lignum. 258 quas inter Furor, | abruptis ceu liber habenis. 108 muneribusque meis irascor. | destruet istas eqs. 50 ipsa sui merces ĕrăt, | ét sine vindice praeda. 269 Magnum cum Phoebo soror ét Cyllenia proles excipit. 16 ad mortes pretiosa: | fames premit advena classes, et cf. 24. 57. 167. 190. 260; 98 ex quo Sullanus bibit ensis, | et horrida tellus extulit eqs.

Et re vera Petronii arbitrium secuti sunt poetae epici omnes quotquot scripsere post Lucanum: Silius Statius Valerius, quam maxime properantes in exemplar Vergilii, a quo more communi Homerus Latinus dissidere non poterat, si quidem fuit aequalis illorum.

Quodsi quae in medium protulimus reputabimus, illa sane pro certo habebimus:

1. Lucanum non esse neglegentem in versu faciundo, sed contra diligentissimum.
2. Homerum Latinum nostro esse simillimum ut proximum antecessorem.
3. Calpurnium esse auctorem laudis Pisonianae.
4. Petronium vituperato more Lucaniano rursus commendasse artem Vergilii et in carmine vere heroico constituendo et in versibus reddendis sonoris.

---

[1]) plane errat Teuffellius in hist. litt.[4] pag. 692 quum scripserit: Das bellum civile persifliert die Manier des Luc. durch Übertreibung: immo morem Aeneidos commendat Eumolpus.

Sententiae controversae.

1. In libro Pharsaliae V v. 420 legi volo:
   ne Pompeiani Phaeacum e litore *tuto*
   languida iactatis comprendant carbasa remis.
   (codd. et editt. toto).
2. Pharsal. IX, 871 sq. scribi volo:
   patriae non arva requiro
   Europamque alios soles *alia astra* videntem
   (vulg: Asiamque.)
3. Pharsalia I vv. 463—5 non sunt genuini.
4. Phars. IV v. 726 lego:
   obli*quans*que caput vanas serpentis in auras
   effusae tuto comprendit guttura morsu
   letiferam citra saniem.
   (cod. A: obliquasque; B: obliquatque; Bentl: obli*quus*que):
5. In Iuvenalis satira X v. 55 verba 'propter quae fas est genua incerare deorum' intelligenda sunt de statuis, quarum genua supplicum manibus saepius tacta ideoque sunt inquinata.
6. In Epodon Horatii carmine IX vv. 29 sqq.:
   aut ille centum nobilem Cretam urbibus
   ventis iturus non suis
   exercitatas aut petit Syrtis noto
   aut fertur incerto mari
   verba 'ventis iturus non suis' interpretor 'ventis ex parte Octaviani orientibus, occidentalibus scilicet, classem inimicam Antonii impellentibus'. venerat Actium *suis* ventis, ex sua parte orientibus, orientalibus.
7. Carmen Horatii I, 22 'integer vitae' non est carmen severum, sed facetum exemplar ironiae Horatianae.
8. In Antigona Sophoclis vv. 506 sq. (ed. Dind.) choro, non Antigonae adscribendi sunt.

VITA.

Natus sum Ernestus Trampe Strasburgii Marchicorum a. d. VII Idus April. a. h. s. LX patre Ludovico matre Ernestina e gente Schultz quam adhuc superstitem esse gaudeo. fidem profiteor evangelicam. primis litterarum elementis in oppido patrio imbutus a. h. s. LXIX in gymnasium Primislaviense receptus sum tunc temporis a Schmelzero v. ill. rectum. neque facere possum quin Buttmanno Guil. Scheffero Poekelio aliis praeceptoribus carissimis gratiam habeam maximam.

Autumno a. h. s. LXXVIII maturitatis testimonium adeptus Berolinum me contuli, ubi ab Helmholtzio v. ill. rectore inter cives academicos receptus sum studiis theologicis operam daturus. quod quum per duo semestria fecissem, ab Aemilio Huebnero v. ill. tunc temporis decano in ordinem philosophorum transcribendum me curavi. scholas frequentavi per decies sex menses virorum doctissimorum Dillmanni Lepsii Vahleni Kirchhoffii Huebneri Curtii Zelleri Paulsenii Muellenhoffii Schereri Zimmeri Seeckii. exercitationibus interfui per tria semestria Vahleni et Huebneri, per quattuor Muellenhoffii, per duo Schereri. quibus viris ill. omnibus gratias ago quam maximas semperque habebo.

